CAMILLI GARULLI

ORATIONES

IN

FIRMANO LYCEO

HABITAE.

FIRMI

Excudebantur in Typographia Pallados

AN. MDCCCIV.

Praesidum Facultate.

CAESARI
EX COMITIBUS BRANCADORIIS
CARDINALI AMPLISSIMO
ARCHIEPISCOPO
ET
PRINCIPI FIRMANO

CAMILLUS GARULLI

Orationes a me in Firmano Lyceo habitae, quum intermissa litterarum studia repeterentur, nemini fidentius, quam Tibi, inscribendae erant, CAESAR CARDINALIS AMPLISSIME. Nam authoritate atque adeo efflagitatu Tuo prodeunt in lucem, ut propterea acre de illis doctorum hominum judicium vereri non admodum debeam, qui me qualicumque hoc meo dicendi genere sa-

tis Tibi probarim, Viro et eruditione et eloquentia non a domesticis modo, sed ab exteris quoque hominibus celebrato. Adcedit eo, quod ex iis multas praesentia cohonestaveris Tua, quum nempe natali in solo degens praeclarissimum inter Ecclesiae Metropolitanae Canonicos obtineres locum, Patriamque nostram ingenii Tui doctrinaeque proelis vulgatae lumine conlustrares. Quamquam autem honorum deinde ingressus curriculum, patrioque a lare disjunctus me dicentem numquam amplius exaudivisti; ea tamen in Te fuit in me iterum audiendo humanitas, ut, quum primum Tibi sacra nuper ornato purpura domesticam revisendi sedem opportunitas est oblata, me de puerorum institutione agentem praesentia Tua recreare ac reficere non recusares. Quod quum faceres, id mihi maxime perhonorificum duxi, consiliumque sum demiratus Tuum, qui non minus attenderis, quid a Te fieri Tua humanitas posceret, quam spectaveris, quid rei, qua de agebatur, utilitati maxime prodesse posset. Quod quum plane perspiceres, momentisque suis ponderares, non

oratoris infantia obfuit, quominus, uti semper consuesti, et splendide faceres et humanissime. Humanissime quidem, quum statim gratulatione publica, quae a me dicta fuerant, excepisti: splendide autem, quum ad me audiendum ea nobilium assectatorum frequentia ac pompa adcessisti, quae non modo dignitati, quam sustines, conveniret, sed praestantissimum Doctorum Conlegium, cujus pars olim omnium nobilissima fueras, decoraret. Haec sane mihi occurrebant animo, quum hasce Tuo inscriptas nomine Orationes in lucem esse emittendas duxi: sed me potissimum, quae in me contulisti, beneficia mehercule singularia acribus quodammodo stimulis excitabant, ut aliquid ex me prodiret aliquando, quod magnitudinem Tibi observantiae meae, gratique erga Te animi documentum aliquod exhiberet. Quum igitur ego maximam aetatis meae partem in Rhetoricae tradendae munere insumpserim, ac latinae eloquentiae studia mihi semper jucunda fuerint; nihil majus habeo, mihique carius, quam hunc laborum ac vigiliarum mea-

rum fructum, quod in publicum obsequii mei gratique animi testimonium ad Te deferendum esse putarem. Qua quidem in re quamquam magis decoris mei, quam Tuae dignitatis habere rationem videor; nihil tamen ab ea ipsa me facere alienum censeo, si exornari per Te atque illustrari cupiam. Qui enim ab aliis sibi student ornamenta adsciscere, hoc ipso eos esse quam ornatissimos arbitrantur. Quod judicium de Te meum ut recte a me prolatum videatur, non ego nobilissimae Familiae Tuae decora persequar, quae multo notiora ac celebriora sunt, quam ut a me praedicari commemorando debeant: quum praesertim tot tantisque ornamentis abundes Tuis, ut minime necesse habeas Majorum Tuorum laudibus promeritisque censeri. Hoc tantummodo dicam, Te proprio, quo fulges, doctrinae virtutisque lumine ad summos Tibi honores aditum aperuisse. Quod quidem a me non magnificentius dici, quam verius, testantur illae a Te in publicam prolatae lucem Orationes, quibus vel ornato dicendi genere virorum principum extollis lau-

des, vel lugubri eorum funera lamentatione prosequeris. Testantur Disceptationes illae, quibus ea, quae ad Catholicae Ecclesiae jejunia, ad sacros Academiarum coetus, ad puerorum institutionem, ad Religionis fundamenta pertinent, non erudite minus, quam affabre explicasti. Testantur accuratae illae Interpretationes, quibus multa Christiano populo salutaria in italicum e latino et gallico sermone versa eo, quo polles, omne hominum genus juvandi studio perlegenda cupidis exhibuisti. Mitto caetera doctrinae Tuae monumenta, quibus luculenter id ostendis, Te sic ingenio praestare, ut, quocumque animum convertas, mirum excellere in modum queas. Nam me virtutes illae quodammodo ad sese rapiunt, quarum nitore ac luce ad Te repente oculos sermonesque hominum convertisti. Quem enim ad se non rapiat Tua illa morum suavitas atque candor, illa in tanta dignitate in omnes effusa humanitas atque comitas, illa vitae aequabilitas atque animi moderatio, quae eo admirabilior est ac praestantior, quo difficilior minusque frequens in tam secundis rebus

esse plerumque solet? Tantis enim ac tam subitis obsequentis fortunae muneribus minime commoveri, excellentis cujusdam est animi, qui ea praeditus constantia adsurgat, quae ex vera rerum aestimatione constat, atque eorum bonorum, quae supra terrenas omnes fluxasque res constituta sunt, fiducia tantummodo comparatur. Itaque nemini mirum videri debet, si in tanta potestate mirifico religionis ac pietatis amore flagrans divinae amplificandae gloriae quibusdam veluti stimulis conciteris. Quis enim Te in sacrorum administratione constantior? quis in concionibus habendis alacrior? quis in hominibus initiandis, in templorum nitore augendo, in propagando Dei cultu ardentior? Hoc Tu ardore dies noctesque actus modo in gregis Tibi commissi mores inquiris, modo piorum locorum rationes, omni qua fieri diligentia potest, investigas, modo aegrotos amantissime invisis, modo egentes reficis pecuniaque sustentas, modo querelis hominum dolorique consulis, modo juventutis in pietate ac litteris progressum foves, modo sanctissimis omnia institutionibus

temperas ac moderaris. Sed me in virtutes ingressum Tuas ea deterret ac revocat cogitatio, ne in modestiae Tuae offensionem ipsa laudum occurrat veritas, illamque minuat corrumpatque gratiam, qua tenuitatem meam comiter semper ac perhumaniter erexisti. Plura itaque non addam, satisque me consequutum arbitrabor, si hoc, tenue licet, et obsequii et observantiae et grati animi erga Te mei tot Tibi nominibus debitum apud posteritatem extare monumentum sinas. Vale.

Dat. Firmi XIII. Kal. April. MDCCCIV.

DE AEMULATIONE

ORATIO I.

Cogitanti mihi saepenumero ac memoria causas repetenti, cur aetate hac nostra neque tam docti, neque tam diserti homines, quam olim fuerunt, reperiantur, illa quidem omnium maxima visa est, quod ea paullatim languescens fere penitus cecidit Aemulatio, qua vigente omnium animi quibusdam veluti adjectis lateri calcaribus ad egregia quaeque facinora excitarentur. Quamvis enim saepe eruditorum hominum querelas vel legerim, vel audiverim, qui nostrorum temporum calamitatem lugubri quadam lamentatione prosequerentur, aliasque ab aliis ejusdem calamitatis causas afferri intellexerim; nihil umquam tamen prolatum comperi, in quo plane posset dubius animus conquiescere, vel cujus nova iterum causa minime esset expostulanda. Nam qui nostrorum hominum causari ingenia consueverunt, videant, utrum hoc iis probetur, qui cum Rinaldo, Parthenio, Sigonioque sentiunt, non ut aliarum rerum,

sic ingeniorum quoque gravem obrepere senectutem; sed talia prorsus ea nunc esse, qualia in iisdem terrarum locis elapsis retro temporibus extiterunt. Qui vero ajunt, non eamdem esse in nostris hominibus diligentiam, quae in veteribus illis, quos admiramur, fuisset, ac jure abesse nos ab illorum gloria, quorum industriam ac discendi cupiditatem non imitemur; multum ii quidem afferunt, quod veritati accedere videatur; sed quaerendum interea superest, cur illam nostri homines abjecerint diligentiam, quae si tanta in iis foret, quanta et in Graecis olim et in Romanis fuit; nihil esset profecto, cur aetas nostra priscis illis aetatibus invideret. Quae quum ita sint, Auditores, mihi, credo, succensebit nemo, si ex languente ac propemodum extincta in nostris hominibus Aemulatione repetendam causam existimem, cur nos multum ab ea litterarum gloria defecimus, ad quam Majores nostri tanta nos cum nominis existimatione provexerant. Date igitur hanc mihi veniam, Auditores, ut hodierna die, qua in hunc amplissimum ad agendum locum convenimus, ut intermissam studiorum consuetudinem repeteremus, illud planum facere coner ac demonstrare contendam, ita litterarum gloriam cum Aemulationis ardore conjunctam esse et cohaerere, ut haec deficere nullo modo possit, quin illa etiam obscuretur sensim, ac demum penitus evanescat. Hoc ego dum praesto, illud quoque me effecturum confido, ut adolescentum animi ad liberalium

artium studia inflammentur, et illa magis emineat Moderatorum nostrorum cura, qua, propositis Juventuti praemiis, eam singulis annis Aemulatione incitandam constituerunt.

Neque vero is ego sum, Auditores, qui illud non videam planeque sentiam, ad litterarum gloriam sive excitandam sive amplificandam, sive etiam ad summam dignitatem atque amplitudinem provehendam unam tantummodo non sufficere Aemulationem; sed et acre hominum ingenium, et singularem quamdam industriam contentionemque requiri: quibus detractis, litterae ipsae incrementa accipere ac perennitatem servare minime potuerunt. At si res omnes accurate velimus investigare, omnino sic reperiemus; ingenium ipsum vel acerrimum quibusdam semper incitamentis indiguisse, sine quibus nec quidquam valuisset ipsum, nec homines industriam adhibere, nec contendere animum, nec tantum ferre laborem, quantum requirunt litterae, voluissent. Atqui ego in summa hujusmodi incitamentorum copia, quae vel afferri possent, vel excogitari, principem obtinere locum, vel saltem inter praecipua numerandam esse Aemulationem mecum semper animo reputavi. Neque vero id me jure ac merito reputasse et luculentissima illustrium virorum testimonia et apta ratio et exempla vel domestica, vel externa non plane evincunt aperteque declarant.

Et sane si doctorum hominum sequi auctoritatem

velimus, adest Quintilianus, qui adeo nobis commendatam reliquit Aemulationem, ut ipsam acriores subdere ad studia faces, quam saluberrima praeceptorum ac parentum monita et institutiones contendere non dubitaverit. Adest Valerius Maximus, qui sibi ante oculos ad contemplandum Romanos statuens, apud quos hoc erat in more positum, ut illustrium virorum, qui aliquo laudis genere floruissent, memoriam proderent, quo ad Aemulationem Juvenes incitarentur, nullas huic domesticae disciplinae Athenas, nullum gymnasium, nulla denique alienigena studia praeferenda esse existimavit. Adest Vellejus Paterculus, qui primum demiratus, quid esset, quod eximii graecarum litterarum cultores in idem angusti temporis spatium, tamquam in septum quoddam, conclusi invenirentur; deinde hujusce rei causas diligenter inquirens, hanc unam maxime idoneam prodendam censuit, quod Aemulatione alantur ingenia ac magnopere inflammentur. Nam quid ego Hesiodum commemorem, qui, quum mentis aciem in illam conjecisset lucem, qua in Graecia Lyceum, qua Porticus, qua Academia splendescere visa est, splendoremque hujusmodi ex doctorum hominum contentionibus profectum pernovisset, bonam ac bonorum omnium procreatricem Aemulationem appellavit? Quid illos, ipsius Graeciae lumina, sapientes viros in medium proferam, qui non sine causa fictis fabulis memoriae prodiderunt, Aemulationem ab Jove in terrae radicibus

esse positam, ut humanum genus ad nobilia quaeque accenderetur; cujus faces si forte in animum inciderent alta quadam virtute praeditum, mirum sane incendium exuscitarent?

Quod quidem nemini mirum videri debet, Auditores, si rei, qua de agimus, naturam, sedulo inspiciamus. Sunt enim ingeniis nostris quaedam veluti semina innata virtutum, quae, nisi igniculus quidam et calor accedat, qui latentes eorum vires paullatim evocet atque eliciat, aut nullos progignere fructus, aut illos certe nativae suae bonitati impares consueverunt. At quaenam vis, Auditores, excitat, excitatum nutrit, nutritum auget igniculum istum, quo fervente ingenia illico explicantur, languente autem contrahuntur statim ac torpent? Una, una est Aemulatio, quae admirabilem illum ingeniorum aestum succendit, quae eam hominibus inspirat mentem, ut in praestantium virorum exempla oculos intendant suos, ac pedem in idem inferant stadium, ad eamdemque laudis victoriaeque spem exardescentes nemini tandem in ea facultate cedant, cui sese penitus tradiderunt. Videor enim mihi videre litterarum vindicem Aemulationem assidue in optimo quoque insidentem, modo noctes ac dies mentem nostram acutis quibusdam stimulis concitantem, modo propositis aliorum exemplis quadam gloriae dulcedine animum commoventem, modo spe praemiorum erecta diligentiam nostram industriamque foventem,

modo tacita quadam voce monentem, turpe ac pudendum esse cedere paribus, pulchrum atque decorum Majores vincere ac superare: qua quidem detracta, Auditores, quis in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi inveniretur, qui tantis sese laboribus frangeret, nec multo satius putaret occupationibus vacuam tranquillamque vitam traducere?

Atque ut hoc facilius intelligatis, ponite vobis ante oculos adolescentes illos, qui addiscendarum litterarum causa in scholis publicis detinentur. Duo hic mihi gymnasiorum genera, ut rem clarius explicem, propono: alterum, cui nullus Aemulationis ardor accessit; alterum, quod Aemulationis ipsius contentione quadam obstrepere ac personare videtur.

Quid illo magis squallidum, ac litterarum incrementis magis infestum possumus intueri? Contrahuntur animi moestitia quadam atque aegritudine, afflictantur, concidunt: languescit industria, frangitur actio, vox denique ipsa debilitatur. Nec modo ita natura fieri, sed judicio quoque ac voluntate accidere experimur. Insani enim esse hominis et ipsi putant adolescentes aut ingenii vires validius expromere, aut actionem acrius commovere, aut vehementius animis concitari, denique non modice, non leniter, non remisse agere, ubi nec laude, nec ignominia, nec spe, nec praemiis, nec suppliciis excitantur. Miseret me interea tui, oh nimium infelix ac certe non ista fortuna digne Praeceptor, qui

tanta confectus cura, quantam indomitus docendi labor efflagitat, contabescere conatu irrito cogaris, ac summo moerore perditus desperes, te umquam adolescentulorum animum excitaturum esse atque erecturum, et illos, quos optes, processus in litteris effecturum.

Agite jam, Auditores, ex isto veluti horrore ac luctu alterum scholarum genus contemplantes ad lucem nos ac laetitiam conferamus. Nihil hic squallidum, nihil triste, obsoletum nihil occurrit. Quocumque incidant oculi, quamcumque me in partem convertam, ubique industriae, diligentiae, ac laboris vestigium aliquod, ac monumentum incurrit; ut, etiamsi tacere velim ipse, illa tamen omnia progressum in litteris feliciorem quo possunt modo non desinant praedicare. Dicunt hoc subselliorum illi ipsi gradus atque ordines, qui quemdam veluti principatus honorem praeseferunt. Dicunt pendentes parietibus coronae, tubae, vexilla. Dicunt multa illa litterariae tamquam bellicae virtutis insignia, quae promptioribus et alacrioribus conferuntur. Illa vero alacritas oris, illa instans operi sedulitas, quae in istis victoriae spem, in illis timorem, in omnibus curam residere testantur, quid sibi tandem volunt, nisi ut ingenii exerendi, memoriae exercendae, doctrinaeque comparandae studium intelligamus? Quid, quum duae utrimque adolescentulorum acies sive commentando, sive scribendo, sive aliquid memoriter recitando ad certamen jubentur pugnamque descendere? Ut adver-

sarii imminent? ut modo instantes, modo urgentes petitiones propemodum gladiatorias conjiciunt! ut stantes dejicere ac deturbare conantur, et se nec loco movendos, nec profligandos confidunt! Acerrime utraque ex parte, ac varia rerum fortunaeque vice pugnatur. Clamorem interea victores tollunt, exsiliunt, gratulantur. Silent victi, indignantur, ac dolent; sed, quamquam veluti saucii discedunt, ad aciem, ad solem, ad pulverem redire gestiunt, ut hostium effroenatos impetus alias frangere queant ac retardare. Usque adeone, Auditores, et ingenii vires exererent, et industriam adhiberent suam adolescentes, nisi ipsorum animos Aemulatio blanda quadam illecebra deliniret?

At enim imbecillis animi est Aemulatione moveri atque percelli: puerorum isthaec exempla esse noscuntur: sapientes viri excelsa quadam virtute praediti sola doctrinae objecta specie ac pulchritudine excitantur.

Itane vero, Auditores? Imbecillis animi est Aemulatione moveri atque percelli? Imbecillem igitur gerebat animum Alexander ille Magnus, qui, quum in Sigeo ad Achillis tumulum astitisset, Aemulatione correptus suas non valuit lacrymas cohibere. Imbecillem gerebat animum Cajus ille Caesar, qui, licet terrarum orbem complesset nominis sui gloria, tamen, quum ejusdem Alexandri imaginem in Hispania vidisset, suspiria fundere non dubitavit. Imbecillem gerebat animum Themistocles ille, quem ita trophaea Mil-

tiadis excitabant, ut illam aestuantis animi vocem indicem saepissime emitteret, se nullam propterea capere partem quietis posse. Imbecillis animi est Aemulatione moveri atque percelli? Atqui non ita arbitrabantur Chaldaei, qui in astrorum scientia, non Judaei, qui in ceremoniis, non Cilices, qui in auguriis, non Thessali, qui in equitandi arte, non Parthi, qui in sagittandi peritia tum praesertim maximam ponebant operam, quum singuli in domestica exempla intuebantur, eorumque splendor spectantium oculos, Aemulatione instigante, sic perstringebat, ut indignum putarent, non certatim contendere, ut quibus in rebus gens sua caeteris populis antecelleret, in iis ipsi civibus et popularibus suis antestarent. Imbecillis animi est Aemulatione moveri atque percelli? Oh stultos igitur Camillos, Scipiones, Fabricios: amentes Marcellos, Fabios, ac Maximos, quos, teste Valerio, hujusmodi ardor ad praeclara quaeque facinora propellebat; atque, ut omnia paucis expediam, puerilem Romanam rempublicam, quae numquam forte illustriora virtutis documenta praebuit, quam quum de gloria, de dignitate, de imperio cum aemula Carthagine dimicavit!

Ea nimirum est cujuscumque sive tenerae, sive constantis aetatis conditio atque natura, ut quaelibet quum multa possit, tum multa velit efficere, si vel laude, vel praemiis, vel mutuis contentionibus ad Aemulationem provocetur. Viderunt hoc in primis Grae-

ci homines atque Latini, qui summo, quo erant, praeter caeteras gentes mentis acumine praediti, illud omni studio diligentiaque providerunt, ut exorta, uti fit, quum a pluribus res eadem expetitur, contentione animorum, ita naviter posteri decertarent, ut eorum plerique ad summam tandem litterarum gloriam, Aemulatione viam ostendente, evolarent. Quae autem hinc sapientiae lumina, nec ea sane multorum ennorum terminis circumscripta Atheniensis ac Romana respublica non suspexerunt! Illa Aeschylum, Sophoclem, et Euripidem, Aristophanem, Eupolim, et Menandrum; haec Pacuvium, Naevium, et Afranium, Lucilium, Plautum, ac Terentium: Illa Platonem, Socratem, et Aristotelem; haec Nigidium, Manilium, et Vitruvium: Illa Herodotum, Thucydidem, et Xenophontem; haec Livium, Caesarem, et Cornelium. Illa Isocrates, et Demosthenes; haec Tullios, Hortensios, Antonios, et Crassos: Illa Homerum, Callimachum, et Philetam; haec Virgilium, Catullum, Horatium, atque Lucretium, aliosque hujus notae famaeque viros protulerunt.

Infinitus profecto essem, si, quae deinde consequuta sunt, tempora dicendo velim commemorare. Mitto itaque illud dicere, post Augusti aetatem ita Poetarum numerum excrevisse, ut, quemadmodum aliqui Scriptorum veterum apud Tiraboschium testantur, numquam, si non praestantior, major saltem extitisse co-

pia videatur. Quos sane Aemulatione excitatos facili possem ratione contendere. Ut enim ad magna quaeque et egregia impellerentur, Capitolinum quinquennale certamen non sine corona victoribus exhibita, Nerone imperante, proponebatur; et idem, Domitiano ad imperii clavum sedente, instauratum Albae quotannis celebrabatur; et ipsum, quod, Muratorio duce, colligimus, usque ad Trajani tempora continuatum fuit atque productum. Praetermitto tacitus, quod ex Lampridio ac Trebellio Pollione accepimus, et Alexandrum Severum, qui Poetas et latinos et graecos in Athenaeo proferentes carmina praesentia sua cohonestabat; et Gallienum, qui, ut omnium animos acrioribus stimulis commoveret, in ipsius laudis certamen cum ipsis descendere non recusabat. Neque vero illud commemoro, quod multis possem verbis ornate prosequi, tunc litteras omnes vel minus floruisse, vel penitus defecisse, quum Aemulationis ardor vel magis languebat, vel omnino extinguebatur. Nam et Constantinopolim imperii sede a Constantino devecta, quo doctissimi quique viri praemiorum spe allecti convenerant, Romanae litterae abjectae passim despectaeque jacebant; et relicta a Cassiodoro aula, qui, omni qua fieri ratione poterat, omnium animos ad Aemulationem accendebat, tanta fuit bonarum artium calamitas, ut omnes misero fataIique casu obrutae funditus interirent.

Haec omnia magna temporum longinquitate remota facile sileri patiar : quae nobis proximiora sunt, cursim ac breviter consideremus. Nam postquam, exacta barbarie, tamquam postliminio fuerunt litterae revocatae, quis ex nostris tunc hominibus extitit bonis artibus tam inimicus, qui ad illas celerrime non properarit, atque inde tantum non hauserit, quantum voluerit ; tantum autem voluerit, quantum eum collecta ex longo haurire sitis compellebat? In tanto autem discendi ardore, in tam vehementi et ingeniorum aemulatione et contentione animorum, quot viri, Deus immortalis! quanta facultate ac scientia, quanta varietate doctrinarum et artium praediti extiterunt! Obstupuit Italia tota, quum tanta sese, quantam haud scio, an ipsa Augusti aetas extulerit, excellentium virorum multitudine ornatam undique circumspexit. Vidit ac gestienti animo vidit in Bembis, Sadoletis, ac Sigoniis, in Manutiis, Pogianiis, ac Victoriis, in Maffejis, Gratianis, aliisque sexcentis eam ipsam latinam linguam, qua olim politissimi Romani cives utebantur, ad illarum artium ac doctrinarum tractationem esse conversam, quae tamdiu barbarorum conluvione obrutae tacuissent. Vidit in Aligheriis, Petrarchis, et Alamannis, in Fracastoriis, Flaminiis, et Navageriis, in Vidis, Areostis, ac Tassis, aliisque innumeris poesim illam, quae diu domestica ludibria verens tacuerat, nunc latia, nunc itala incedentem palla, atque

ad eam dignitatis laudem evectam, ut cum priscis ausa fuerit Scriptoribus in contentionem laudis venire. Vidit in Casis, Ptolomaeis, ac Varchiis, in Speroniis, Badoariis, ac Montemagniis, in Bonfadiis, in Lolliis, et Guidiccioniis eloquentiam illam, quae fere penitus obmutuerat, hilari erectam vultu atque ita magnifice prodeuntem, ut neque copiosius ditari, neque sublimius extolli potuisse merito videatur. Quae autem vis tanta fuit, Auditores, quae barbariem illam, quae jamdiu irrepserat radicesque altissimas egerat, ex Italiae finibus propulsavit, ac litteras foedissima illuvie situque obsitas in pristinam lucem ac dignitatem vindicavit? Num id fieri potuisse censetis, nisi acri quadam Aemulationis flamma tot praestantium virorum animi conflagrassent? Illam Caroli Magni in primis, deinde Lotharii, Cosmi denique, Hyppoliti, Leones Decimi, aliique bonarum artium fautores munificentissimi; illam domesticorum favor et assensus; illam admiratio vulgi, et proposita ante oculos praemia excitarunt.

Quae quidem quum in Italia fierent, insolitus ac novus ardor corripuit Galliam, corripuit Angliam, corripuit Belgium, Germaniam, Hispaniam, atque eo corripuit successu, ut quae gentes nullas antea pene litteras noverant, eae nunc cum nostris hominibus de litterarum gloria contendere non vereantur. Itaque facultates omnes sese in cunctis fere Europae regionibus

erexerunt, ac magis magisque in dies progredientes ad summam amplitudinis gloriam devenerunt. Erexit se Mathesis, quae Joannis Neperi perutilibus illis ad rem trigonometricam logarithmis, quae Bonaventurae Cavalerii indivisibilium ratione, quae Petri Fermatii praeclara de maximis minimisque methodo a Carthesio Ugenioque mox feliciter pertractata, quae, ut reliqua innumera recentiorum omittam, Galilaei, Clavii, Tartaleae inventis mira fuit hominum consensione illustrata. Erexit se Physicarum rerum facultas, quae, veterum excusso philosophorum jugo, Copernico et Tychone ducibus, Planetarum ordinem tantis partium studiis agitatum, quae mutuas caelestium corporum vires, Carthesianis rejectis vorticibus, a Nevvtono deprehensas, quae multigenos luminis radios a Grimaldo primum significatos, mox a Nevvtono ipso acrius investigatos, et lucis naturam vel a Carthesio, vel ab Eulero, vel ab eodem Nevvtono statutam, quae inaequalem gravitatem a Richero, electricam vim a Franklino, tubos a Torricellio, aliaque hujusmodi a Castellio, Borellio, Cassinis, caeterisque innumeris excogitata et inventa esse quodammodo gratulatur. Erexit se Theologiae veluti comes ac lumen hinc Historia in Torniello, Saliano, Cornelio, Calmeto, Baronio; illinc Chronologia in Usserio, Petavio, Scaligero; atque ita graecarum rerum ambages a Pitisco, a Graevio, a Maffejo, a Polito, a Corsinio sunt evolutae; ita Conciliorum

opus Sirmondi, Binii, et Labbaei industria perfectum; ita Patrum scripta a Frontone Ducaeo, Montfauconio, aliisque e Maurinorum gente prolata, ut, qui haec recte calluerit, facultatem omnium praestantissimam inoffensis queat oculis perlustrare. Nec vero in tanta doctrinarum praestantia lucem non emisit suam aut ars Diplomatica, quam Mabillonius, Harduinus, et Papebrochius, aut veterum numismatum usus, quem Spanhemius, Vailantes, et Gruterus, aut Geographia, quam Cluverius, Brietus, et Samsonius, aut recta latine loquendi ratio, quam Politianus, Muretus, Lipsius, Victorius in suis *variarum lectionum* libellis, quam Turnebus in *adversariis*, quam tres Manutii, Lambinus, Nizzolius; Gruterus, uterque Gronovius, Graevius, aliique doctissimi viri cum veteribus comparandi in suis sive praeceptionibus, sive commentariis copiose et graviter pertractarunt.

Jam vero, ut eo denique, unde profecta est, mea redeat oratio, si clarissimorum hominum auctoritas, si apta ratio, si aetatum omnium exempla illud plane declarant, Aemulationem et ingenia quodammodo aluisse, et laborem, industriamque hominum excitasse; dubitabitis, Auditores, quin litterarum gloria ita sit cum ipsa Aemulatione conjuncta, ut, si haec tandem deficiat, illa quoque evanescere videatur? Hoc enim ipsa natura fieri atque usuvenire videmus, ut, quibus quaeque res in lucem edita nutrimentis alitur atque

augetur, iisdem etiam conservetur; quae si casu aliquo intercipiantur, ipsam quoque rem extingui atque omnino intercidere necesse est. Quam enim necessarium, si adsit, aliquid est; tam exitiale, si desideretur, esse solet. Quare hoc idem licet in ipsis quoque litteris animadvertere atque colligere, quae, quibus sunt exortae principiis, iisdem vigeant oportet; et unde primum incrementa coeperunt, inde perennitatem etiam repetere necessario debent. Itaque quum illae sint Aemulatione primum nutritae, deinde auctae, ad summam denique dignitatem amplitudinemque provectae; illud profecto consequitur, eas imminui sensim debere, ac demum, nisi Aemulatio vigeat, penitus aboleri.

Quae quum ita sint, Adolescentes optimi, vos enim, vos mea extrema jam compellat oratio, Aemulationem illam, quae ad vos se recipit, tamquam ad litterariae dignitatis vindices, hilari bonoque animo excipite. Haec vos enixe rogat atque obsecrat, ut illud retineatis litterarum decus et ornamentum, quod vestri olim Majores tanta vobis contentione partum tradiderunt; neque pati velitis, ut quae apud vos altae sunt artes honestissimae, eae per socordiam vestram ac cessationem apud vos consistere confirmarique non possint. Quid? Videor enim hanc mihi audire sic vos alloqui, Adolescentes. Quid? Majores vestri litteras e Graecia arcessitas apud se omnium principes colloca-

runt: vos non omni ratione curabitis, ne suis tamquam orbatae tutoribus aliquando profugae ex Italia in exterarum gentium tutelam venire ac fidem cogantur? Illi gentium barbararum conluvione deinde extinctas ad vitam longo intervallo revocarunt: vos revocatas extingui iterum, aut obscurari saltem patiemini? Illi ad pristinum decus evectas ad haec usque tempora summa cum earum ac sua dignitate retinuerunt: vos dignitatem istam non modo non retinebitis, verum etiam turpiter negligetis? Videte, ne ut illis gloriosum pulchrumque fuit tantam vobis litterarum gloriam relinquere, sic vobis turpissimum sit acceptum ab illis decus industria tueri et ornare non posse. Agite igitur, Adolescentes, et quemadmodum olim Themistoclem illum Miltiadis trophaea objecta animo somnum capere non sinebant; ita patriae hujus vestrae solum, quo excepti primum nascentes estis; ita caeli hujus, quem viventes ducitis, spiritus; ita indoles vestra praestansque animi natura stimulis vos gloriae acerrimis dies noctesque agat, ut in eadem semita, qua Majorum vestigia praeiverunt, insistentes eodem, simili vobis comparata laude, perveniatis. Dixi.

DE LITTERATORUM FASTU I.

ORATIO II.

Si vestram in litteris contentionem superioribus annis excitavi, quum illud Aemulatione proposita enixe conatus sum, ut adolescentum animi ad egregia quaeque facinora in studiorum curriculo impellerentur; dabitis mihi, opinor, hanc veniam, Auditores, ut inanem illum Litteratorum Fastum, quo nihil fingi deterius potest, hodierna die reprimendum propulsandumque suscipiam. Neque enim minus aequum vobis videri debet, illa a me ex hoc loco proferri, quae discendi cupiditatem foveant et inflamment; quam illud maxime providere, ut ea penitus removeantur, quae saepe infesta litteris et Juventuti accidere consueverunt. Quum autem earum rerum, quae vel a natura, vel a fortuna proficiscuntur, illud commune esse intelligamus, ut modo magnas utilitates, modo graves calamitates afferant, atque una sit virtus, qua perversa ac perniciosa uti non liceat; illud magnopere vereor, Auditores, ne in-

cauti adolescentum animi vana quadam Aemulationis specie deliniti, dum acriter contendunt, ut, quibus in rebus ipsi alios praestare vident, in iis iidem caeteris antecellant, in hunc Litteratorum Fastum nemini sane ad evitandum facilem delabantur. Cum enim sumus omnes natura ipsa vehementer laudis appetentes, tum nimia quadam in nosmet benevolentia decepti vel tales nos esse ducimus, quales ab iis, qui blando nobis mendacio placent, praedicamur; vel, si plausore et assentatore caremus, modo quaesitis, modo forte oblatis occasionibus nobis ipsi plaudimus et assentamur. Quod si hoc veluti morbo ii fere omnes laborant, qui sese aliqua virtutis laude florere putant, eo sane litterati homines insanire quodammodo animadvertuntur. Quis enim vel mediocri ingenio praeditus ac levi tantum doctrinarum cognitione instructus aut sibi non optimus videtur, aut cum optimis non comparandus? Hinc illi tumidi elatique spiritus excitantur, quibus praeclari etiam caeteroquin viri in fastum misere delabi solent. Itaque pro ea, qua omnes erga adolescentes charitate esse debemus, quibus ex hoc inani Litteratorum Fastu, objecta Aemulationis specie, periculum sane ingens impendet, horum ego hominum morbo, quantum quidem possum, adhibendam esse medicinam putavi. Ut enim Plutarchus monet, si quid utile infundi Juventutis animis velis, necesse omnino est, succrescentes arrogantiae spiritus, omni qua fieri diligen-

tia potest, in iis reprimi et coerceri. Hoc ut praestem, demonstrare contendam, nihil inani Litteratorum hominum Fastu excogitari perniciosius posse. Suscipite vos personam Judicis: suscipiam ego accusatoris partes: Litteratorum Fastus rei vices sustinebit. Agam libere apud hos Judices et Auditores, quorum modestiam eo magis a me laudatam esse arbitrabor, quo acrius in eos invehar, qui propter immoderatam ingenii doctrinaeque suae opinionem levissime efferuntur.

Atque ut omnis, qua de agitur, causa penitus dignoscatur, quum fastum nomino, nihil a vobis intelligendum est aliud, quam indigna sui per superbiam cum aliorum contemptu existimatio. Quo constituto, illud me facilius consequuturum confido, ut nihil hominum litteratorum fastu perniciosius esse arbitremini. Hoc enim veluti jacto orationis meae fundamento, accuso Litteratorum Fastum, quod hominibus, quos corripuerit, turpissimae animadversionis notam inurat. Accuso deinde, quod honestissimas disciplinas bonasque litteras corrumpat misere atque pervertat. Accuso denique, quod Catholicae saepe religioni acerbissimum teterrimumque bellum inferre minime reformidet. Videtis, tria esse omnino crimina a me in fastum conjecta: primum de Litteratorum, alterum de Litterarum, tertium de Religionis pernicie. Verum duo haec quidem alias a me, si libuerit, diligentissime agentur;

nunc primum illud, ad Litteratorum perniciem quod attinet, facite, quaeso, ut mecum benevole recognoscatis.

Atque ut statim ingrediamur in causam, objicio illis stultitiam ab omnibus irridendam, infamiam ejusdem stultitiae comitem ac sociam, ingenii pertinaciam, quae nullo umquam pacto corrigi sanarique possit: quibus in crimen vocatis, et ex istorum sermonibus agendique ratione collectis, a me quam brevissime causa perorabitur, nec ullum vobis dubium relinquetur, quid de illis sentire ac decernere debeatis.

Ac primum quis, dum nimia doctrinae opinione correpti virtutes suas manifestandi cura torquentur, illorum stultitiam non plane intelligat, eamque animadversione risuque dignam non arbitretur? Hoc enim experientia ipsa usuvenire videmus, ut magno semper cum risu ea in theatralibus ludis excipiatur persona, quae gloriosum Plauti militem imitata, supercilii gravitate, oris conformatione, toto denique corporis habitu sic incedit, ut uno tantum spiritu invictas hostium legiones profligatura facile videatur. Atqui huic Thrasoni similes litteratos illos, contra quos agimus, reperiemus, si quam saltem istorum speciem exhibere dicendo juvet. Tument ventosi homines inani quadam singularis doctrinae persuasione decepti, et contracta fronte, et severo vultu, et incessu gravitatis plenissimo ita circumspiciunt sese et admirantur, ut jure dicas,

sibi illos undique obsequia propemodum postulare. Quid, si eosdem de se loquentes, ac suarum laudum praeconia celebrantes audiamus? Qui splendidi tituli! quae gratia litteratorum! qui favor nobilium! quae principum virorum benevolentia! qui populi plausus et admiratio! Quanta vero ingenii ostentandi cupiditas! quanta omnigenae eruditionis depromendae cura! quanta caeteris contradicendi arrogantia! Ipsi Graecorum ac Latinorum fontes, ipsi antiquitatem multiplicibus annalium monumentis consignatam, ipsi recondita scientiarum adyta ingenio pervestigare, memoria sepire, cognitione assequi potuerunt. Quid porro caeteri? Nihil omnino sciunt, vel certe parum. Hinc ore ad severitatem composito censoriam virgam distringunt, et nescio qua amentia, sive potius furore correpti, Andabatarum more, qui clausis, ut ajunt, oculis digladiabantur, in quoscumque, nullo discrimine, sive illos fors objecerit, sive ipsi sese obtulerint, invadunt, irruunt, caedunt, nullumque pulsandi finem faciunt, donec eos male acceptos mulctatosque dimittant. Hunc nullo praestare ingenio, illum Criticae artis expertem; alios levi eruditione fulciri, alios Jurisperiti nomine indignos impudentissime affirmant. Quid Aristoteles? stulta ejus docendi ratio, insulsa doctrina, homo denique rerum omnium imperitus praedicatur. Quid M. Cicero? inani verborum sonitu pollere dicitur. Quid Homerus? vanae loquacitatis arguitur. Quid Ovidius, aut Virgi-

lius? Nihil in his sublime, nihil splendidum, nihil excelsum, sed humi puerorum similes reptant. Quid Alciati, Cujacii, Hottomani? His plura ipsi vel dormitando intellexerunt.

Hae sunt horum hominum voces, quas ad imperitorum animos percellendos in vulgus jactant: quo uno nomine ego Litteratorum Fastûm irridendae stultitiae accusem, et vos condemnetis necesse est; ut non jam diutius in hac causa de vestro mihi judicio sit, nec magnopere laborandum. Quid enim inconsideratius dici? quid insanius jactari? quid in vulgus efferri dementius potest? Quid vero optandum magis accusatori, quam reos habere suis ipsorum verbis sermonibusque convictos?

Dicentne hujusmodi homines, quos arguimus, me magis accusatorie, quam vere cum ipsis agere? Exponam igitur luculentius causam, notabo crimina, indicabo nomina, ne se circumveniri a me conquerantur. Experiar, utrum mihi facilius sit perpetua in oratione versari; an, convicto reo, quam citissime causam transigere. Experientur fortasse et ipsi, utrum molestius laturi sint, objecta a me generatim iis atque universe fuisse crimina, an ea singulatim afferri, et fusius explicari. Adsint hic itaque ante hos modestissimos lectissimosque viros, qui indigno tumentes fastu se in bonis artibus atque doctrinis duces et imperatores haberi volunt, quum vix inter gregarios milites

queant saepissime recenseri. Videor mihi videre in summa hujusmodi Litteratorum copia Zoilum Amphipoliten, qui, ut haerentem alieno capiti coronam eriperet, censoriam distringere virgam audacter solebat. Hic Homerum Graecorum Poetarum praestantissimum crudeliter caesum ad gerrones et nugivendos, tamquam vanissimae scurrilitatis artificem, amandavit. Obversatur mihi ante oculos Largus Licinius, qui contra doctissimos homines optimeque de litteris meritos insano ductus acerbitatis et iracundiae stimulo agebatur. Hic, Agellio teste, M. Tullium ab eo principatu, ad quem incredibilis ac prope divina eloquentiae facultas ipsum evexerat, editis libris, quos non sine stomacho legimus, aut audimus, dejiciendum detrudendumque suscepit. Cerno animo Palaemonem, quem antiquissimum Vicetinum Grammaticum ex Svetonio fuisse accepimus. Hic suis sive praeceptionibus, sive glossariis, sive commentariolis superbe elatus M. Varronem, quem Romanorum eruditissimum appellatum esse a Quintiliano novimus, infandis in eum contumeliis effusis, omni expoliandum litterarum gloria existimavit. Nec me non movet aut Asinius ille Pollio, qui, Svetonio eodem auctore, Julii Caesaris Commentariis a Cicerone ipso in Bruto laudatis negligentiae et falsitatis notam inussit; aut Marcus Vipranius, qui P. Virgilium latinorum poetarum principem miserandae ac miserae imitationis insimulavit; aut Petilius Fausti-

nus, qui Poetam ipsum de plagio aliisque criminibus postulavit.

At enim vetera haec sunt, et nimis obsoleta. Quasi vero, Auditores, in hanc loquendi perversitatem nostrorum temporum litteratos inanis fastus non impellat. Quasi vero non iisdem modo, quibus olim, motibus agitentur, quos idem semel animi vitium infecerit. Quasi vero natura hominum alia fuerit ratione aliis temporibus comparata. Sed quoniam isti me litterati ad recentiora provocant, descendam libenter, quo vocant, et illud fortasse dicendo consequar, ut eos asperiorem, quam ipsi flagitant, optasse conditionem poeniteat. Quum autem a me nova quaedam et inaudita arrogantium hominum crimina in medium proferentur, vobiscum ipsi reputate, Auditores, malle me, ut omnem offensionis metum effugiam, de aliis aetatibus, quam de nostra, delibando aliquid commemorare.

Atque ut a Claudio Verderio initium ducam, quae et quanta elapso saeculo ubique expectatio fuit, quum vir ingenio quidem mediocri, sed magna praeditus audacia non uni, aut alteri litteratorum generi, sed omnibus pene doctis hominibus et veteribus et recentibus magno fastu bellum indicens in arenam processit, atque, ut Saldenus Menckeniusque testantur, publice declaravit, se *Censionem* proferre, *qua*, ut ipse aiebat, *receptissimorum plerorumque Grammaticorum, Poetarum, Historicorum, Dialecticorum, Rhetorum,*

Oratorum, *Jurisconsultorum*, *Mathematicorum*, *Medicorum*, *et Theologorum errata quaedam deprehenduntur?* Neque vero minus impudenter se gessit Joannes ille Ciampolus, qui, ut Janus Nicius Erythraeus memoriae prodidit, quum die quodam per urbem rheda veheretur, eique Gaudentius Paganinus, aliique eruditi viri assiderent, et quum forte de Virgilio et Horatio sermo incidisset, vir ingenii sui opinione elatus ita acriter coepit in praestantissimos illos Poetas invehi, ut eos nullo ingenio homines, nulla doctrina, nullis extitisse litteris contendere non dubitaret; eoque res adduceretur, ut immanem ejus audaciam Paganinus fastidiens, auresque suas diris illis, ut ajebat, maledictis eripiens de rheda illico desiliret. De Basio vero Jurisconsulto quid ego dicam, aut a quoquam, qui legendo aliquid quaerendoque cognoverit, dicendum putem? Paremne ei aliquem aut ingenii sui praedicatione, aut exquisitae eruditionis ostentatione, aût clarissimorum hominum despicientia vel extitisse, vel existere posse existimemus? Obstupuit superior aetas, et omnium eruditorum aures subito erectae sunt, quum vir arrogantia magis, quam doctrinae fama celebratus tantum sibi, auctore Saldeno, tribuere ausus est, ut Alciatos, Cujacios, Hottomanos, aliosque hujus notae viros, qui eum dignitatis locum apud omnes obtinuerunt, ut in jure civili antistites haberentur, alto prae se despiciens supercilio palam gloriaretur, unum se animadver-

tisse, quod multis antea saeculis universos latuerat, ac tantam esse tamque admirabilem doctrinam suam, ut, ejusdem siquidem verbis utor, *etsi studiosus lector trecentos annos in Doctorum libris evolvendis palleat, nihil simile ac tam solidum in hac materia sit deprehensurus*. Nam quid ego Belmontem Cagnolum ventosissimum hominem commemorem, qui, quum Aquilejae excidium etruscis carminibus celebrasset, clarissimis Italorum Poetis Francisco Petrarca ac Torquato Tasso praestantiorem sese praedicabat, nomenque inde suum sic longe lateque disseminatum esse arbitrabatur, ut, si eruditus quispiam advenienti sibi non assurrexisset, iracundia flagrans ac propemodum furore percitus insanum in morem conquereretur? Quid Salmasium referam, qui, Colomesio teste, de se ita magnifice sentiebat, ut Gaulmino et Massuaco asserere non erubuerit, se eum esse, qui doctrinae suae copia ac lumine, non ipsos modo, quorum alloquio perfruebatur, sed omnes etiam litteratos viros, qui in singulis Europae partibus efflorescebant, unus vinceret ac superaret? Quid Theophrastum Paracelsum in medium proferam, qui, quum se omnes doctrina Medicos longe superare censeret, sapientem medicum, praeter se unum, existere neminem contendebat? Nolo hic ego, Auditores, pudet enim me in hujusmodi criminum recensione diutius immorari, nolo, stultissimas dicam, an impudentissimas? ipsius voces afferre; quae tamen

eo usque progressae sunt, ut *vel unum capitis sui pilum plus scire, quam omnes Galeni sectatores* affirmare palam non dubitaverit.

Jam vero quonam pacto honestissimos viros tam insignes ac plenas stultitiae voces laturos esse arbitramini? Erit, erit profecto tempus, quo ambitiosi homines praeter omnem expectationem se undique oppugnatos despectosque sentient, et veram sese gloriam, dum falsam captant, funditus amisisse. Discent illi oculi, qui nihil splendidum spectare possunt, quin livore foedissime inficiantur; discent illae aures, quae nullum praeconium, nisi de sua virtute, libenter audiunt; discent illae linguae, quae, praeter se, adhuc neminem laudare norunt, eum, qui omnium praestantissimum se jactet, minime tolerari. Nam debitam superbiae suae poenam luentes illam subibunt infamiam, quae a tanta numquam insania divelli sejungique possit. Itaque omnes in hujusmodi litteratos, tamquam in communes hostes, insurgent, et qua contemptu, qua satyris, qua conviciis omnes iis perinde illudent, ac illi apud Aesopum asello, qui, quum leonis indutus exuviis alacer superbusque gestiret, et alieno belluas ornamento turbaret, deprehensus tandem et cognitus hac arrogantia meruit, ut sibi, spolio detracto, terga flagello horribili domarentur, sibique barbam certatim vellendam lascivis praebere pueris cogeretur. Interea quae voces de ipsis erunt! qui sermones hominum! qui ri-

sus! qui cachinni! quorum ampla sane ab istis materies suppeditatur. Oh vanas igitur cogitationes! Oh spes fallaces! Oh inanem expectationem! Huccine tandem omnia reciderunt, ut qua ipsi via inflammato ad gloriam studio rapiebantur, eadem illa ad irrisionem et infamiam nihil tale umquam opinantes deducantur?

Non moventur tamen homines insanissimi, sed levi adhuc inanis gloriolae cupiditate abrepti jam nunc animo typos ac praela meditantur, et nescio quam nominis perennitatem mente agitant et cogitatione praecipiunt. Sed pergant porro, quo illos ista rapit amentia, et inconsulta clarescendi cupiditas praecipites agit. Itaque in lucem adspectumque hominum se tandem proferant, et admirandos ingenii sui foetus emittant. Jam libelli isti summa, ut ipsis videntur, cura elaborati in omnium manibus versantur, jam circumferuntur, jam volant, vulgo leguntur, pervolutantur. Turgent auctores, videlicet callidi et peracuti, et gaudio laetitiaque exsiliunt, ac propemodum colliquescunt. Neminem verentes, neminem prae se putantes, quidquid chartis illeverint, optimum ducunt, sibique mirifice placentes, sicut illa Aesopica musca currus insidens rotae: Quantum, inquiunt, ubique pulverem commovemus!

Sinite me hoc loco, Auditores, unum aliquem ex istis, tamquam si adesset, compellare: Quid turges, infelix? quid insanis? quid privatim et publice magno

rumore et strepitu tantam de te expectationem concitas, quantam vix ipse Juppiter excitavit, quum ei laboranti Vulcanum securi cerebrum percussisse perhibent, atque inde Minervam disciplinarum praesidem prodiisse? Non illi tituli, quos Gellius ridebat, plerumque e graecis fontibus hausti, qui praeclara et magna pollicentur; non illustrium virorum testimonia undique conquisita, quae operi praefiguntur tuo; non venustissimae formae, quibus impressus libellus est; non laevissima membrana, qua circumvestitur; non addita emblemata, quibus ornatus pictusque prodit; non denique illa concinnitas, qua ita comptulus videtur, nihil ut auctori suo de nitore elegantiaque concedat, sapientes cordatosque viros movere alliciendo possunt. Despicient isti magnificum augustumque vestibulum: quid intus lateat expendere volent, atque ad trutinam revocare. Jam nunc prospicere mihi videor, quemadmodum isti miserum libellum tuum sint excussuri, sive te potius omnem in partem exagitaturi. Quum obsoletas abjectasque voces, barbaram syntaxin, totum orationis genus inconditum atque horridum notabunt; quum te vel errore deceptum, vel improbe mentitum, vel furiose declamitantem subito quodam effervescentis animi impetu concitatum plurima effudisse comperient; quum te numquam ad rem, de qua agebatur, suo distinctam genere, distributam in partes, certisque terminis definitam et coercitam devenisse cognoscent;

quum praepostera tempora, aperte pugnantia, insulsa et ridicula singulas dispicientes partes animadvertent: Haeccine, inquient, est illa ingenii facultas, quae supra caeteras efferebatur? Haeccine illa doctrinae copia, quae lucem rebus afferre omnibus putabatur? Haeccine illa multiplex eruditio, cui nihil in disciplinis abditum occurrebat? Oh te miserum, usurpabo illud, quod adversario olim suo ab oratorum disertissimo exprobratum esse ne tu quidem fortasse ignoras, Oh te, inquam, miserum, si intelligis, miseriorem, si non intelligis, quanta hinc tibi infamiae labes paretur! Efferebaris demens inter scribendum, tuique immortalitatem nominis mente jam et cogitatione praecipiebas! Volitabis enimvero, volitabis per ora hominum, quod magnopere exoptabas; siquidem de te in triviis, in plateis, in circulis nemo non otiosus loquetur. Sed tibi abjecto atque perculso incipient acriter vehementerque insultare: tibi salse et amare jocantes convicia ingerere: tibi, si forte aliquid in te boni deprehenderint, ementitas plumas evellere, et furtivis coloribus corniculam denudare. Te comparabunt Aesopicae illi ranae, quae, quum bovem aemulatura magno nisu cutem intenderet, rupto demum corpore perculsa jacuit: te parvae illi aviculae, quae nihil habet insigne, praeter vocem, qua taurorum mugitus imitatur, quamque propterea taurum nominarunt: te illi monti, quem, quum immanes gemitus parturiens ederet, ridiculum peperisse murem fictis fabulis prodi-

derunt. In tantis autem popularium tuorum sermonibus et quotidiana tui nominis usurpatione, quid viros graves atque modestos de te sensuros ac dicturos arbitraris? Parcent ii quidem injuriis, et propriae gravitatis ac modestiae rationem habebunt; sed inscitiam ipsi tuam cum impudentia stultitiaque conjunctam secum taciti condemnabunt. Quamobrem, ut te, qui cum solo mihi res hactenus fuit, amice commonefaciam, muta, obsecro, istam mentem, et noli diutius in stulto proposito permanere. Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? te ut infamiae nota deterreat? tu ut umquam monitoribus acquiescas? Optandum quidem hoc esset, sed a litterato arrogante non est postulandum.

Et sane, Auditores, si rem velimus diligenter inquirere, eam esse exitialem fastus naturam intelligemus, ut ipsam non stultitia et infamia solum, sed quaedam etiam insanabilis ingenii pertinacia comitetur. Illud enim fastus et arrogantia efficit, quod in gravissimis quibusdam morbis accidere experimur, ut, iis qui laborant, aegritudinis suae gravitatem non agnoscant, non agnoscentes remedia quaeque contemnant. Quis enim litterato arroganti ausit hoc umquam dicere, quod prudens ille apud Horatium Censor animo non minus candido et ingenuo, quam amico et benevolo proferebat: Haec, sodes, et illa corrige, dele transverso calamo: mutanda sunt plurima, vel omnia ite-

rum excudenda; aut si forte humanitate, vel misericordia ductus hoc ausit, quonam tandem exitu operam et laborem impendat? Videsne illam subito contractam frontem, corrugatas nares animadvertis, distortos oculos intueris? Plausorem quaerit, non monitorem; et, si quid est, quod carere animadversione non possit, illud defendere pertinax mavult, quam prudens ac facilis emendare.

Itaque nemini mirum videri debet, Auditores, si quotidie in lucem prodeant tot inelegantes orationes, tot carmina laevo apolline iratisque musis confecta, tot ineruditae ac tenebricosae de veteribus monumentis disceptationes, tot ineptae caelatae lapidibus inscriptiones, aliaque hujusmodi non minus foeda, quam absurda monstra, quae numquam profecto domestica ex umbra et privatis e latebris emersissent, si ambitiosi viri amicis et candidis monitoribus, quam sibi, obsequi maluissent.

Quod si forte, ut contingere saepius vidimus, ineptissimi homines a censoribus oppugnentur, atque ita in omnem partem premantur, ut, quocumque se vertant, nullum, nisi deditioni relictum locum inveniant; num dabunt rationi locum? num se convictos fatebuntur? num sibi ad imitandum proponent, aut Hippocratem, qui quosdam errores suos, ne in ipsos posteri inducerentur, sponte confessus est; aut Ciceronem, qui aliquos a se conscriptos libros damnare ipse postea non

dubitavit; aut sanctissimum illum eumdemque doctissimum Augustinum, qui, quum ea, quae jam vulgaverat, sagacissime investigasset, se aliquando deceptum fuisse, nemine cogente ac ne rogante quidem, minime dissimulavit? Utinam illis hanc boni Superi mentem donarent! Verum, libere enim dicam, quod sentio, ut quisque indoctior, ita plerumque loquacior est; hac scilicet ratione, ut ita loquar, sapientiae inopiam compensante natura, ut quantum alicui consilii atque ingenii non contulerit, tantum ineptae loquacitatis et promptioris audaciae addidisse videatur. Hinc quo plures ad vindicandam litterariae reipublicae dignitatem animose et naviter in haec Litteratorum monstra, ut in hydram Hercules, arma distringunt, eo plura ipsorum capita progignuntur. Hinc alii denuo libelli diuturniore cura elaborati, atque, ut falso sibi istiusmodi homines persuadent, acriori subacti judicio in lucem prodeunt. Hinc novos sibi nectunt laqueos arctioresque pedicas adstruunt, quibus iterum induantur, atque iterum misere implicentur.

Jam vero quanta ex hac pertinaci agendi ratione damna proficiscantur, quis cogitatione assequi, quis memoria complecti, quis oratione queat percensere? Loquantur haec nebulones illi, qui ad eam, quam semel arripuerint, sive sententiam, sive sectam, quam veram non desinunt stultissime praedicare, firmiter adhaerescunt. Loquantur illi veritatis hostes infensissimi, qui in pu-

gnam saepe certamenque descendentes, quamquam multis attriti cladibus iisque confixi armis intereant, quae adversariis iidem suis praebuerunt; cedere tamen veritatis ipsius propugnatoribus nolunt. Loquantur nefaria illa et acerba bella suscepta, quibus non modo singulorum hominum, sed totius etiam litterariae reipublicae status convellitur, extinguitur quies, labefactatur auctoritas, felicitas profligatur. Quamquam quid ego aures vestras tristi contentionum ac dissidiorum commemoratione percellam, quae publicam litterarum pacem tranquillitatemque elapsis aetatibus perturbarunt? Vos ipsi, me tacente, recordamini, quas res acerbitas in conviciis, iracundia in maledictis, superbia in contumeliis, inimicitiae in turbulentis factionibus excitandis, invidia in deterendis laudibus et virtutibus labefactandis, malevolentia in falsis confingendis, in scriptis foedandis ac polluendis, in locis sinceris interpolandis et corrumpendis efficere potuerit; eas res omnes Majores nostros actis antea temporibus sustinuisse: quae profecto mala dictu gravia, perpessu difficilia, si nostros interdum animos vehementius commovent, existimare possumus, qualia illis visa sint, qui ea praesentes non viderunt modo, quod ipsum per se ad acerbitatem doloris erat satis, verum senserunt etiam et pertulerunt.

Quae quum ita sint, colligite vos, Auditores, ut justum de Litteratorum Fastu aliquando judicium proferatis. Si stultitiae, si infamiae, si pertinaciae no-

tam Litteratis ipsis inurit; nihil profecto est, cur diutius cogitetis, quid tandem sentire vos ac decernere debeatis. Si enim sapientia vestra cum stultitia, vestri nominis existimatio cum infamia, vestri ingenii docilitas cum pertinacia ulla conjungi ratione nequit; illud omnino judicetis necesse est, nihil posse exitialius fastu ac deterius fingi, quod majori a nobis propulsandum cura putemus.

Itaque si qui ex vobis, Adolescentes optimi, hic forte adsint, qui sive naturali quodam animi aestuantis impetu, sive blandis assentatorum laudibus sese plus aequo efferri ac turgescere paullatim sentiant, omni cura diligentiaque perpendant, quam tumida sit ambitio, quam flagitiosa, quam noxia; tunc caecis fortasse mentibus aliqua lux orietur, et internoscere incipient, quo sint ipsi demum progressuri, nisi concitatos hujusmodi spiritus opportune reprimant, ac tempestive compescant. Adeant praeclara gymnasia, illudque sedulo animadvertant, quam latis atque adeo nullis terminis doctrinarum fines circumscribantur, quorum immensa spatia infinitis praesertim salebris et anfractibus impedita quum in hac tanta et brevitate vitae et humani ingenii imbecillitate se obire nequaquam posse cognoscent; tum demum ita ipsi contrahent sese atque despicient, ut veniam potius, quam laudem ob eam scientiam, cui tam multa desint, sibi deberi arbitrentur. Adeant eruditos litteratorum hominum conventus

ac florentes Academias, illudque acriter inspiciant, quam praestantes in omni doctrinae genere viri inveniantur, quorum quum sese nondum consequutos esse cognitionem intelligent, statuent ipsi, quid de tenui suo, quem praeseferunt, penu sit judicandum. Adeant bibliothecas, et ingentem illam librorum copiam, magnitudinem, varietatem intueantur, illudque assidue cogitent, quam multa sint disciplinarum genera, quae ipsi ne primoribus quidem labiis degustarint; quot volumina, quae numquam attigerint; quot auctores, quorum vel ipsa nomina illos latuerint; et inani, qua circumferebantur, gloria evanescente, quantum a sapientiae fontibus absint secum animo reputabunt. Quod quidem praestare facilius poterunt, si praeclaras illas Carthesii et Quintiliani recolant voces; quorum alter affirmare non dubitavit, vere eruditos homines numquam superbire; alter vero in suis Institutionibus posteritati mandavit, arrogantem de se persuasionem magnos frequenter progressus perdidisse. A qua pernicie prohibete vos, Adolescentes optimi, ne quam mihi fidem litteratorum hominum fastum accusanti non habueritis, tandem aliquando propter foedissimam stultitiae, infamiae, ac pertinaciae notam despecti ab omnibus abjectique eam vobis ipsi habere condiscatis, ac tum demum aliquid sapere incipiatis, quum vos omnino desipuisse intelligetis. Dixi.

ORATIO III.

Maxime vellem, Auditores, ne Litteratorum Fastus in hoc olim judicium productus, gravissimisque sententiis vestris damnatus et ejectus, iterum vobis sistendus foret, ac de novis criminibus postulandus, quae et meam in exponendo fidem, et vestram in judicando severitatem requirant. Quum enim necesse sit de hujusmodi vitiis verba facere, quae nec sine verecundia detegi, nec sine offensionis periculo refricari possunt; aliam profecto habere orationem mallem, quam istam, atque huic omni causae delationique supersedere. Sed quoniam a me suscepta accusatio ita propter summam rerum dicendarum copiam ac varietatem non potuit unica actione universa comprehendi; ut, quum tria, de quibus dicerem, proposuissem, vix unum illud, quod primum in partitione fuerat, de Litteratorum pernicie, explicarim; reliqua autem duo ad litteras et religionem spectantia intacta quidem reli-

querim, sed integra in aliud agenda tempus reservarim, non modo fidei meae, verum etiam expectationi vestrae, atque adolescentum, quorum commodis inservire maxime debeo, utilitati deessem, nisi, quod reliquum causae est, mihi esse ex hoc loco absolvendum putarem. Prodeat igitur in hoc judicium Litteratorum Fastus, atque ita prodeat, ut habitum gerat, qui reum decet, squallidum, sordidatum, afflictum. Neque vero suorum omnium criminum poenam reformidet. Nihil enim a me de gravissimis illis maleficiis dicetur, quibus eo potissimum conatus dirigit suos, ut summum religio ipsa in discrimen adducatur. Quo quidem in genere quum omnia, quae ex re essent, satis attento animo inquirerem, expenderem, adornarem, ita se mihi multa obtulerunt, ut nisi receptam prodere accusationem vellem, singulari actione alias a me pertractanda esse intelligerem. Itaque si olim de illato solum Litteratis damno insimulatus fuit et convictus, hodierna die illud expectet unum, ut de maxima, quam honestissimis disciplinis infert, pernicie insimuletur jure et convincatur. Video, me difficili in loco, invidiaeque plenissimo jam versari; sed recreor praesentia vestra, Auditores, et hac tanta sapientiae luce emicante in eam spem erigor, fore, ut non modo non injucunda, verum etiam tanto gratior auribus vestris accidat oratio mea, quanto gravius reprehendere videatur eos, qui propter immoderatam praestandi cupidita-

tem litteras omnes corrumpunt misere atque pervertunt.

Litteras hac una tantum de causa hominum generi datas esse, ut illae principes animi facultates, intellectus et voluntas, verum ac bonum assequutae ita sese tueantur ac regant, ut in illo judicia sint recta, in hàc affectiones compositae, neminem vestrum ignorare arbitror, Auditores. Jam vero si hunc honestissimum doctrinarum finem Litteratorum Fastus de medio tollat, quis ulla dubitare ratione poterit, quin litteras ipsas corrumpat misere atque pervertat? Atqui de hujusmodi reo hic agitur, qui intellectum a vero, voluntatem a bono avocet ac reflectat. Haec düo a me hodierna die in crimen vocantur: de his vos judices sedetis et arbitri; quibus cognitis Litteratorum Fastum de illata littèris pernicie merito condemnabitis.

Atque ut ab actionis meae principio intelligàtis, quam foede Litteratorum Fastus intellectum a veritate abducat, percurrite, quaeso, magnam illam Sectarum varietatem, quae in omnibus fere scientiis ante oculos obversatur. Quot ubique sententiae, quamque inter se discrepantes jactantur! quanto animi ardore ac pertinacia homines contendunt ac pugnant! ut in publicis certaminibus incalescunt! ut acrius, quam castra milites, id quidquid est, de quo dimicent, omni ex parte tuentur! Quod si forte evertantur, videntur ii, perinde ac si altis a culminibus Troja rueret, ae-

stuare. Comparari nova praesidia, excitari socii et amici, colligi undique opes et copiae, instaurari certamen, atque illud, cujus semel suscepta defensio sit, vel ipsius periculo capitis propugnari. Jam vero si veritas una est, cur non unus item omnium consensus, et, compositis tandem contentionibus, non unum idemque omnes amplectuntur ac probant? An hi, qui falsum defendunt, ita a communi abhorrent sensu, ut verum non ament, atque insana quadam perversitate hoc scientes volentesque insectentur? Stulti esset hoc dicere, arrogantis existimare. Cur itaque falsum tuentur? cur sententiam non abjudicant? cur privatim et publice nos decipiunt? Nimirum litterati ipsi a fastu miserrime decipiuntur. Hic illos vel Praeceptorum auctoritate, vel loci, in quo vivunt, consuetudine, aut lege, certis quibusdam sectis atque sententiis adstrictos, antequam verum a falso secernere judicando queant, blando quodam vinculo ita detinet, ut ad eas insanabili pertinacia ducti adhaerescant. Hic illis eam mentem inspirat, qua id verissimum censeant, quod defendendum semel patrocinandumque susceperint. Hic eosdem dulci quadam assentatione sic mulcet, ut sese tantum, quae alios fugiunt, intellexisse putent. Cum enim nemini de ingenii facultate, deque omnigena eruditione cedunt; tum solos sapere se, caeteros autem desipere ulla sine dubitatione arbitrantur. Quare, dum istos arrogantia ducit, in medio relicta veri-

tas jacet; perinde ac non ad ipsam debeant omnes studiorum curae contentionesque referri.

Verum haec, Auditores, fortasse levia, si cum iis, quae graviora occurrunt, conferantur. Valet quidem multum in veritate obruenda fastus, quum de veteribus sententiis semel animo imbibitis disseminandis ac defendendis agitur. Quid, quum inflatos opinione doctrinae viros cupiditate gloriae succendit, eosque ad novitatis studium veritati plerumque inimicum tandem impellit? Nam quid hominum ingenia non ausint, quum ad nova excogitanda et condenda, remotis arbitris, pro sua libidine rapiuntur? Nugatoria proferunt, absurda confingunt, ad fraudes descendere non perhorrescunt. Adeste animis, Auditores, atque omnia breviter recognoscamus.

Obruimur immensa propemodum librorum copia, quae in dies magis succrescit, nihilque exhibet, praeter insulsa quaedam et perridicula, quae doctis cordatisque viris movere stomachum animadvertuntur. Movet sane ille Gaspar Knittelius, qui librum edidit *Regia via ad omnes artes, et scientias* inscriptum, in quo tot sibi ad modestiam celebrandam suppeditari argumenta affirmat, quot primus Aeneidos Virgilianae versus constat vocibus; nihilque sibi proponi ad dicendum posse gloriatur, de quo aptam loquendi copiam ex quocumque vocabulo, et e qualibet re sibi casu oblata haurire nequeat. Movent inanes curae,

quae Bentlejum et Boylium, quae Fabrettum et Gronovium, quae Clericum et Burmannum, quae Kusterum et Perizonium, licet summos in re litteraria viros, de una voce *cerno* tam longo disceptantes tempore exercuerunt. Movent Politianus et Massonius, quorum alter, ut verbis Mornaei utar, *disputavit, quamdiu vixit, dicendumne esset Vergilius, an Virgilius; Charthaginensis, an Charthaginiensis; primus, an preimus; et, si quid otii ab istis nugis superfuit, epigramma aliquod graece composuit;* alter vero *Historiam reipublicae litterariae criticam* tam multis cum Daceria, ejusque viro, et Clerico disceptationibus opplevit, ut opus hoc, caeteroquin egregium, eruditis consecrasse nugis videatur. Taceo Messalam Corvinum et Martinum Fogelium, Manutium et Lambinum, Benignum Sanreyum et Matthaeum Regalium, Laurentium Vallam et Franciscum Philelphum; quorum alii de una litterula, alii de syllaba vel addenda, vel demenda, alii de voce aliqua vel acerrime pugnaverunt, vel risu excepta in lucem plurima ediderunt. Vocant enim me graviores quaedam disciplinae, quas ad ineptissima quaeque a Litteratorum Fastu conversas non sine rei litterariae dedecore et ignominia videmus. Nam quod disciplinarum genus fugere ambitiosorum hominum ineptias potuit? An Geometria? cujus perfectissima methodus, utar enim facultatum ipsarum vocabulis, ne, si aliter fecero, et obscurus et nimio plus diligens fuis-

se videar, ab Yvone Gaukesio et a Joanne Craigio ad res incertissimas est traducta. An Astronomia? quae tam confidenter sentire coacta est, ut Soli, quem lucis patrem veteres appellaverunt, inferorum tenebras cum Anglo quodam attribuat: ut in certas Lunam provincias cum Ricciolio, qui cum alias aliis partes, tum optimum sibi tractum superbe vindicet, liberrime partiatur: ut Lunae ipsi, quae tam indigna de se confingi ad Menippum queritur, nescio quos incolas cum Hoelio adscribendos esse arbitretur. An Theologia? quae jampridem editam Strozzi Ciconiae Vicetini Theologi disceptationem *de similitudine et sympathia, quam habent caeli Potestates cum Sole, Principatus cum Venere, Archangeli cum Mercurio, Angeli cum Luna* ad sempiternae turpitudinis notam conspexit. Non has ineptias fugit antiquitatis cognitio, quae saepe de inanissimis rebus perinde agere non veretur, ac olim Palaemon et Orbilius, qui acerrimis contentionibus quaerebant, *utrum Aeneas dextro prius, an laevo pede in Italiam appulerit;* aut Maximus et Zopirio, quorum alter alterum insectabatur, *quod utra Veneris manus vulnerata a Diomede fuerit, non satis recte explorasset.* Non Metaphysicorum facultas, quae novam quidem, sed futilem *de nihilo* doctrinam protulit, et in pervulgatis a Demonsio *de quarta parte nihili*, et a Bouvellio *de plusquam nihilo* quaestionibus insanire pro-

pemodum visa est. Non Physicarum rerum scientia; quae sollertissimas nugas, ut Seneca loquitur, commiriscitur, nunc in Fusilio, qui ignem magis esse frigidum, quam calidum, affirmavit; nunc in Sanctorio, qui illam etiam expirationem, quae sensu percipi nequeat, certis momentis aestimavit; nunc in Carthesio, qui tam multa ad vortices pertinentia temere excogitavit; nunc in Suissetio, qui tanta res naturales subtilitate explicavit, ut ipse Cardanus, quem subtilitatis auctorem Menckenius vocat, omnem ab eo posteritatem labore vexatam improbo fateretur. Sed quid ego singula persequor, quasi vero hae nugatoriae litterae in omnium oculos late undique non incurrant? Hoc docent innumerae pene lucubrationes, quae de arte molliendi vitra, de inusitatis liquoribus, de lumine aeterno, de perpetuo mobili, de philosophorum conflando lapide agentes nobis Croesi divitias montesque aureos pollicentur. Hoc divinationum commenta, quibus eruditi circulatores varias astrorum vices animadvertentes futurarum rerum eventus se praesagire posse contendunt, et arithmeticis quibusdam figuris in errorem imperitos homines impellunt. Hoc conscripta volumina de perfecta circuli quadratura, de latitudine maris perfectissime cognita, de longitudinis deprehenso gradu, de gravitatis, ventorum, magneticae vis, aliarumque rerum plurimarum causis, quas ambitiosi homines, tamquam albae, ut ajunt, galli-

nae filii hiantes corvos ludentes se nosse penitus gloriantur.

Atque utinam nugas tantum proferrent, neque etiam ad graviores litteris inurendas notas raperentur! Horret animus, eaque dicere reformidat doctrinarum absurda, quibus tot hominum mentes in errores foedissimos delabuntur. Sed haec, me tacente, memorant, illa Harduini deliramenta, quibus, ut Menckenius loquitur, *obtrudere eruditis voluit, quod plerique scriptores graeci pariter ac romani, atque adeo Patres quoque ipsi ab otiosis hominibus, et nescio qua falsiriorum conjurata societate fuerint subornati*. Memorant sententiae illae, quae de brutis animantibus circumferuntur: quae quidem alii cum Carthesio omni prorsus carere sensu pronuntiant; alii apud Bahelium intelligendi vi et libertate et immortalitate frui contendunt; alii cum impudentissimo auctore Gallo ea pollere anima affirmant, quam lemures ipsorum corporibus inhaerentes constituant. Memorant illi Philosophorum conatus, qui eo referuntur, ut sive aeternam cum Spinoza materiem, illamque veluti ipsum Deum agnoscamus; sive nihil esse tam certum cum Bahelio existimemus, ut mentes rapere ad assentiendum debeat; sive eam cum Lokio corporibus inesse vim facultatemque putemus, qua res percipere cogitando possint. Neque vero vos latet, Auditores, quosdam fuisse homines, quos Egoistas et Idealistas vocamus, qui

eo devenerunt dementiae, ut illi, praeter se, nihil existere; hi vero corpora omnia putas esse animi cogitationes disseminarent. Nec ignoratis, animum illum, quem olim a Zenone ignem, ab Aristoxeno harmoniam, a Xenocrate numerum, ab Empedocle sanguinem, auram denique a Diogene et Anaxagora appellatum tradunt, immutatis tantum vocibus, ita comparatum jactari, ut homines belluarum conditioni turpiter accenseantur:

At enim hujusmodi novitatem, quae vel ineptias proferat, vel absurda confingat, omnium aures aversantur ac respuunt.

Itane vero, Auditores? Quid tam nugatorium, quam ea, quae Apollonius, Teophrastus, Cardanus, absurdissimi homines, proferebant; vel tam ineptum, quam ea, quae Guillelmus Postellus de Virgine Veneta exhibebat? Atqui illa plurimorum admirationem eliciebant, haec insolitam audientium multitudinem concitabant. Quid tam insanum, quam ea, quae Fratres Roseae Crucis plurimis libellis editis commenti sunt; vel tam inficetum, quam ea, quae Raymundus Lullus de nova quadam in utramque partem disputandi arte callidis nominum ac verborum perturbationibus agnoscenda proposuit? Atqui, elegantissimo Naudaeo teste, illa magno doctorum hominum plausu probata sunt; haec incredibile prope dictu est, quam multos tenebricosa ostentationis loquacitate deceperint. Quid tam

absonum, quam ea, quae Merlinus Anglus, Joachimus Germanus, Joannes Parisiensis, Telesphorus Cuzentius, Dandalus, Rusticanus, Ubertinus Casalius, Lolliardus, Lichtembergensis, aliique sexcenti apud Naudaeum ipsum non disserentium, sed somniantium more praecipiebant? Atqui haec somnia eruditi viri Arnaldus de Villanova, Cyprianus Leonicenus, et Cusanus in Purpuratorum Patrum collegium cooptatus et avidissime exceperunt, et mira animorum consensione probarunt. Nimirum ita plerumque sunt homines comparati, ut, auctore Synesio, quae sunt obvia, fere despiciant; quae vero inaudita videntur ac mira, ultro libentesque amplectantur. Haec enim, ut Rinaldus ait, mentes omnium animosque percellunt; quique ea graviter constanterque pronuntiet, hunc homines diligenter audiunt, hunc stupefacti dicentem intuentur, in hoc denique ita exhorrescunt, ut Romani in Carneade, quum is in Senatu non minoribus contra justitiam viribus dissereret, quam pridie dixerat pro justitia. Hinc nihil tam absonum fuit, Auditores, quod non plures assentatores habuerit; neque defuerunt plurimi, qui cum Heraclito primum principium, cum Parmenide rerum, ut ajunt, pluralitatem, cum Prothogene veritatem ipsam negarint; eoque insaniae devenerint, ut cum Anaxagora sibi caelum lapideum, et nivem nigram persuaderent.

Quid, quod ambitiosi viri novarum cupiditate rerum succensi ad fraudes omnes descendere non veren-

tur, quibus hominum mentes irretiantur, et, quae inepta et absurda proferunt, avidis animis excipiantur? Putatisne, Auditores, me quidquam fingere, aut rem dicendo exaggerare? Afferantur Scriptorum veterum monumenta, circumferantur, inspiciantur. Quid istae sibi liturae volunt? quid erat hic antea scriptum? quid postea inductum fuit? Nonne, vel tacentibus omnibus, Codices ipsi loquuntur, et se corruptos, interpolatos, interlitos, et foede mutilatos clamant? Quis porro haec sine summa rerum perversitate se facere posse existimavit? Fecit Nodotus Gallus, qui Petronio Arbitro Massiliensi non pauca quaedam est ausus adscribere. Fecit Muretus, qui ementito vetusti Comici loco, et conficto Pacuvii versu, Scaligero ipsi, non impune tamen, illusit. Fecerunt Parmesanus, Paduanus, et ipse Golzius, ut sexcentos alios omittam, qui veris adulterina numismata adjecerunt. Nam quid ego Georgium Ruxnerum, et Antonium Varilasium commemorem, qui, ut erroribus impune esset, scripta e tenebris eruta confinxerunt? Quid Annium Viterbiensem, qui Berosi Chaldaei antiquitates, Inghiramum Florentinum, qui antiquitates Etruscas, Antonium Dominicum Floccum, qui L. Fenestellae librum de Magistratu et Sacerdotio Romano, Hieronymum Higueram, qui Flavii Lucii Dextri, Marci Maximi, Braulionis, et Helecae, Antonium Lupianum Zapatam, qui Hauberti, et Gregorium Argaesium, qui Liberati Histo-

riam quum excogitassent, omnia ex vetustis monumentis accurate perscripta, ut fidem legentibus facerent, praedicarunt? Verum, si res omnes velimus diligenter inquirere, nihil mea quidem sententia perniciosum magis occurrit, quam sermo ille vaferrimus, quo colore quodam et fuco sic ea, quae falsa sunt, perpoliuntur et ornantur, ut in aliam transisse naturam quodammodo videantur. Hoc superbi homines sibi benevolentiam et gratiam versute callideque comparant: hoc sibi aditum vel ad turpissimam causam patefaciunt, planamque ad errores viam communiunt: hoc artificiose rem narrant ad fallendum, argute refellunt nostra, confirmant sua, ac tanta falsum dicendi suavitate condiunt, ut orationis acumine, simulata verborum et sententiarum gravitate, polita disputandi subtilitate mentes hominum varie versent, et in eam, quam velint, partem impellant. Quare videte, Auditores, num dubitandum vobis sit, utrum hac invecta in rem litterariam novitate, quae nugatoriis ineptiis, quae absurdis doctrinis, quae fraudibus sit referta, foedis undique cladibus veritas profligetur.

Quod si Litteratorum Fastus in veteribus patrocinandis sententiis et in novis excogitandis intellectum a vero abducit; in virtutibus opprimendis, et in vitiis alendis voluntatem a bono avocat ac reflectit. Magna est litterarum vis, Auditores, et magna in utramque partem, ut ex iis vel maxime salutares fru-

ctus, vel perniciosissima damna proficiscantur. Si animum imbuant non superbum, non tumidum, non inflatum, quanta virtutum seges repente succrescit! Quae docilitas in ingeniis! quae sanitas in voluntatibus! quae integritas in judiciis! quae concordia in opinionibus! quae lenitas in dissidiis! quae modestia in censuris! quae verecundia in sermonibus! quae recta ubique rationis norma cum honestae vitae disciplina conjuncta, in cujus tutela ac fide sacra et profana òmnia conquiescant! At vero si litterae ipsae nanciscantur animum arrogantia elatum, quanta subito vitiorum germina progignuntur! Ubi enim ambitio tam impudens? ubi livor tam perditus? ùbi adulatio tam putida, dicacitas tam maligna, inimicitiae tam acres, odia tam diuturna, labes omnes ac pestes, quae tam effroenate in privatarum et publicarum rerum perniciem tandem erumpant? Tuae sunt, oh numquam satis detestanda arrogantia! tuae sunt illae criticae animadversiones, in quibus calumniae, maledicta, et contumeliae inter se digladiantur et certant, perinde ac in contentionibus litterariis victoriae laus debeatur ei, non qui veritatem gravius defendat, sed qui adversarium suum impudentius allatret, ac Theonino dente plures ei plagas et acerbiores imponat. Tuae sunt illae satyrae procacissimae, quae honestorum hominum famam incesto lacerantes ore acerbissimis suspicionibus ac tumultibus omnia permiscent. Tuae sunt illae voces insanae, qui-

bus livor alienis laudibus obstrepit; et si quid forte occurrat, quod minus recte prolatum ab erudito aliquo viro intelligatur, hoc exquisitis teterrimae obtrectationis coloribus adornatur, describitur in libellis, proponitur in tabernis, promulgatur in circulis, propagatur ad extraneos, occentatur ubique; et quemadmodum si qua canis ferocius latret, caeterae etiam, ceu signo dato, eosdem latratus edunt; sic istis commota sermonibus tota Thrasonum natio, cerebrosi, graculi, gerrones, nebulones, balatrones conjunctis viribus debacchantur. Tu illam Francisco Robortello immoderatam gloriae cupiditatem injecisti, qua cum parem neminem ulla ferre ratione potuit, tum Alciato, Sigonio, et Egnatio, doctissimis viris, dicam scripsit, eoque res adducta fuit, ut Egnatius idem educto gladio in eum impetum facere non dubitaret. Tu Gaspari Scioppio illos adjecisti stimulos, quibus Lipsium, Scaligerum, Thuanum, Possevinum, Vossium, Stradam, Casaubonum, Mornaeum ita lacesseret, ut, Bahelio teste, *Canis Grammaticus* diceretur. Tu Poggium Florentinum ita in Laurentium Vallam armasti, ut non modo ipse hunc et vesanum et impium et furiosum; sed etiam, quod horresco referens, romanum scortum appellaret. Te duce eumdem Poggium Laurentius Valla immanem belluam, Erasmus, caeteroquin lenissimus, impium, indoctum, et obscoenum rabulam nuncupavit: Trapezuntius vero publico in conventu, impacto

ei colapho, castigavit. Te socia levissimas ob causas Stubertus in Muretum, Gronovius in Fellerum, atque adeo in Lipsiensem Academiam quodam veluti furore succensi ad convicia honesto homine, nedum litterato, indigna descenderunt; Julius autem Scaliger tanta in Erasmum ductus est acerbitate, ut eum, quod Ciceronem non, ut ipse cuperet, admiraretur, infensissimum publicae tranquillitatis hostem praedicaret. Tuis acti calcaribus ad turpissima quaeque impulsi sunt Apostolius, Nicanor, Politianus: tuis Alexander Tassonus, Nicolaus Villanus, Paulus Benius: tuis Nizolius et Majoragius, Siberus ac Decimator, Leo Aretinus ac Floridus Sabinus, Scaliger et Cardanus, Salmasius et Grotius, Simon et Vossius, non secus ac lippi calonesque solent, sese invicem exceperunt. Sed, ut paucis complectar omnia, quid deformitatis et vitii in litteris bonisque artibus esse potest, quod ab Eruditorum Fastu minime proficiscatur? Dolemusne, Auditores, Eloquentiam politiorum artium pulcherrimam, non de utilitate fructuque eorum, qui audiunt, sed de inanissimo anxiam plausu ac sollicitam, non sinceram, non simplicem, non gravem, sed muliebriter comptam, calamistratam, omnibus delibutam pigmentis non modo in profanis, sed etiam in sacris concionibus saltatriculae in morem lascivire? Litteratorum Fastus lascivientem producit. Dolemusne, Poeticam facultatem ad celebrandas Deorum laudes, et ad hominum mores caste

integreque fingendos natam, nunc per summam temeritatem sacra et profana omnia miscere, et mollissimos incautae Juventutis animos foedae voluptatis illecebra irretire? Litteratorum Fastus hujusmodi inquinatam sordibus commaculat. Dolemusne, illam omnium bonarum rerum parentem atque altricem Philosophiam, quam Ethicen Graeci dicunt, ita virtutum ac vitiorum nomina sensim extenuare, ut flagitiosas animi cupiditates vel non turpes habendas, vel honestati minime adversantes, vel hominum consuetudini ac rationi consentaneas proponat? Litteratorum Fastus ad hanc labem turpitudinemque traducit. Excogitate facinus, quam vultis, improbum; turbulentos seditionum fluctus excitatos, foeda internecionum semina propagata, funestas bellorum faces disseminatas; nullum profecto reperietis, quod Eruditorum ambitio non admiserit. Senserunt haec olim terrae, quae ad Orientem vergunt, quum acutuli quidam Philosophi, quos *improborum patres* Tertullianus vocat, inani inflati sapientiae fama tot populorum animos perdiderunt. Senserunt Italiae Graeciaeque partes, quum superbi homines ea, qua pollebant, eloquendi copia privatis publicisque rebus exitium et vastitatem intulerunt. Senserunt Anglia, Germania, et Gallia, quum perditi scelestique viri non modo illorum, qui tum viverent, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam se ingenio superasse arbitrantes tantam virtutibus cladem intulerunt, ut eas vix multis

aetatibus complurium pietas singularisque doctrina in pristinam queat vitam dignitatemque referre.

Quae quum ita sint, eritne quisquam vestrum, Auditores, qui, quum tot calamitates per homines eruditos quidem, sed ambitione furentes honestissimis disciplinis importatas videat, haereat adhuc, dubiusque sit, utrum Litteratorum Fastum damnandum, an absolvendum censeat? Quid? Nos tantam litteris illatam perniciem aequo animo perferemus, nec mala, quae graviora in dies consequentur, antevertenda putabimus? Nam sic mihi omnia fauste prospereque eveniant, ut longe gravius est detrimentum litteris ab Eruditorum Fastu pertimescendum, quam possit ab infensissimis omnium disciplinarum hostibus comparari. Fuit sane, Auditores, luctuosissimum tempus illud, quum viri principes summa imperii potestate praediti liberalissimas artes extirpare radicitus contenderunt. Quot, quum ille passim volitaret furor, atque omnibus omnia minitaretur, quot, inquam, optima scripta perdita! quot monumenta funditus deleta! quot eruditi viri exilio inopiaque sublati! quot eo calamitatis adacti, ut sibi mortem ultro consciscerent! quot denique vi ac ferro miserrime contrucidati! In tanta autem rerum perversitate neque suam litterae dignitatem amiserunt, neque ullam sibi inustam turpitudinis notam indoluerunt. At vero quam a pristina excidant dignitate, et quanta apud omnes macula inficiantur,

quum a Litteratorum Fastu e vero ad falsum, e bono ad malum traducuntur, quis explicare satis dicendo possit? Hinc fremere homines non stultissimi adversus innocuas disciplinas, perinde ac earum culpa fiat, ut mens ad prava detorqueatur judicia, voluntas autem foedis affectibus corrumpatur. Hinc in ipsarum disciplinarum cultores, tamquam in veritatis ac virtutis hostes, insurgere, eosque veluti humani generis pestem abominari. Hinc eorum probare consilium, qui litteras omnes e suis civitatibus veluti funestam facem ejecerunt: laudare Messenios, qui Philosophos ac Poetas, tamquam adolescentum corruptores, praeconis voce exterminarunt; Lacedaemonios, qui in sua republica nullum esse litteris locum voluerunt; Romanos, qui, C. Fannio Strabone et M. Valerio Messala Consulibus, rursus Gn. Domitio Aenobardo et L. Licinio Crasso Censoribus, Domitiano item Imperatore, Rhetoras ac Philosophos decreto gravissimo ex urbe atque adeo Italia exturbarunt. Has Litteratorum Fastus querelas provocat, has tragoedias excitat, has ignominiae notas cladesque litteris inurit; a quibus profecto graviora illis impendent mala, quam quae ab hostibus actis antea temporibus acceperunt. Abeat igitur haec Litteratorum labes atque pernicies, evadat, erumpat; nosque illam ex omnibus imperii litterarii finibus emigrantem unanimi suffragiorum consensu laetis clamoribus prosequamur. Dixi.

DE LITTERATORUM FASTU III.

ORATIO IV.

Quod erat timendum maxime, quum Litteratorum Fastus omnia passim misceret, doctrinasque omnes corrumperet atque perverteret, ne Religionem ipsam aggrederetur, impioque illam scelere de medio tollere atque omnino evertere conaretur; id sane periculum nec depelli satis et auferri, neque propter summam ambitiosorum hominum licentiam ulla prohiberi ratione potuit, Auditores. Nam qui semel effroenata quadam cupiditate ducti a recto virtutis tramite deflexerunt, aegre admodum ita sese continere possunt, ut in graviora deinde mala non prolabantur. Quamquam enim ita sunt homines a natura ipsa comparati, ut, si olim ab honestatis semita aberraverint, ad eamdem naturae ipsius quasi vocibus revocentur; ita tamen ad contraria sese convertunt vitia, ut, nescio quo fato misero, suavissimas ejusdem voces opprimere turpiter conentur. Neque vero hoc nobis mirum videri debet, si illud

sedulo animadvertamus, eos nimirum omnes, qui pravam lubricamque insistere viam coeperint, certos sibi constituere fines non posse, ultra quos non temere ac facile progrediantur. Itaque illud sapientissimi quique viri praeceperunt, ut quantum fieri potest, initiis omnibus obsistere enitamur, ne, quum nulla suppetit emergendi ratio, tum nobis conatu irrito provideamus. Quod quidem consilium quam rectae sit rationi consonum proprio illi experimento intellexerunt, qui, posteaquam praecipites in vitia ferri coeperunt, quamquam ad bonam, ut ajunt, reverti frugem voluissent, in illa tamen agendi consuetudine perstiterunt, quam, dum res aut integrae adhuc essent, aut minime deteriores effectae, superare facile potuissent. Hoc ego si hominibus illis, quos Fastus misere corripuerit, evenisse dixerim, illud sane affirmaverim, quod a vero aberrare longius non videatur. Etsi enim mihi facile persuaserim, istos quoque sibi certos constituisse fines, quos transgredi primum nollent; in eo tamen gradu, quem sibi ab initio praestituerant, consistere procedente tempore non potuerunt. Quare ab inusta, ut primum demonstravimus, stultitiae, infamiae, ac pertinaciae nota, et a corruptis, ut mox vidimus, depravatisque litteris eo sensim devenerunt, ut Religionem ipsam labefactandam atque evellendam penitus existimarent. Jam vero qui de summa, quam litteratis ac litteris pernicie Fastus infert, tam multa prioribus a-

ctionibus verba fecerim, poterone in Religionis ipsius periculo atque discrimine lentus haberi ac dissolutus? Ego vero non faciam, neque committam, ut in re omnium gravissima mihi, vobis, ac Religioni desim, et vos extremam hanc institutarum actionum mearum partem desideretis. Dicam igitur de Religionis pernicie, quam his praesertim temporibus Litteratorum Fastus intulit; dicam, quod sentio, libere, et alacrius fidentiusque apud vos arbitros judicesque dicam, quod me non expressa modo, sed tacita etiam doctorum hominum judicia expavescentem benevolentia vestra eripitis, ac judicio vestro gravissimo et maximo confirmatis.

Atque ut omnes intelligatis, in quantum Religio à Litteratorum Fastu adducatur discrimen, recolite animo, Auditores, voces illas arrogantiae plenissimas, quae in vulgus jactari solent, atque assidue ad sollicitandos imperitorum animos usurpari. Nam quid saepius vulgatum ab istis? quid repetitum frequentius, quam *illud manifesta cum veritate pugnare: hoc nulla certa ratione probari: hoc nullo esse pacto credendum?* Quae quidem ita jactantur, ut specie in incertum dicta videantur, re tamen ipsa ac tacito consilio ad certum scopum designatumque directa deprehendantur. Quid? illa plena cujusdam spiritus omnia superbius fastidientis et contumacius repudiantis, quae non tam audientium aures, quam animos graviter vehemen-

terque percellunt: *His, aut illis Scriptoribus fidem non esse habendam: pugnantia, absurda, incredibilia scripsisse, dormitasse, somniasse.* Quid illa alia? quae, cujusmodi sint, non expendo, sed tantum dico, deteriorem in partem accipi ab istis, et malum plerumque in usum detorqueri. *Cujusquam rationem non esse ducendam ab eo, qui unam veritatem inquirat: censoriam virgam nullo discrimine peraeque in omnes distringendam: stulti hominis esse credere, dubitare sapientis.*

Hae sunt impudentissimae voces, quas ad immoderatam in opinando inducendam confirmandamque licentiam jactare liberius ambitiosi homines consueverunt. Hac autem inducta, quid aliud eosdem agere intelligimus, quam caeterorum omnium rationem auctoritatemque deprimere ac labefactare; suam vero et rationem et auctoritatem tantummodo extollere et augere? Jam vero quid Religioni pertimescendum non sit, si haec opinandi licentia percrebuerit, quam non modo sermonibus usurpari, sed etiam libris in Italiam submissis disseminari callide intuemur? Nam si caeterorum omnium rationem et auctoritatem deprimunt ac labefactant, Christianae Religionis fundamenta subruere atque convellere moliuntur: si suam tantummodo rationem et auctoritatem extollunt et augent, non Christianam modo, sed omnem omnino Religionem de medio tollere enituntur. Adeste animis, Auditores, at-

que haec a me in Litteratorum Fastum conjecta crimina recognoscite.

Atque ut illud, quod primum posui, videamus; in eo Christianam Religionem sitam esse ac veluti fundatam probe aperteque nostis, quod Deus aliquando hominibus sit loquutus, et, quae ad ipsam Religionem pertinent, manifestarit. Hoc supremi Numinis verbo sublato, ipsa de medio tollitur Religio. Atqui ambitiosi homines, qui caeterorum omnium rationem auctoritatemque deprimunt ac labefactant, hoc firmissimum Christianae Religionis fundamentum subruere et convellere totis viribus aggrediuntur. Quis enim ignorat, hujusmodi fundamentum argumentis illis inniti, quae *moralem*, quam dicunt, *certitudinem* non excedant? Jam vero qui caeterorum hominum rationem auctoritatemque negligunt, qui nullis Scriptorum veterum testimoniis acquiescunt, qui nemini fidem habent, qui sic in rebus omnibus examinandis versantur, ut sibi infinitum prope imperium usurpent, omnia despuant, omnia fastidiant, omnia denique ad arbitrium suum libidinemque revocent, illa sane argumenta subvertunt, quibus Deum loquutum esse hominibus ita ostendimus, ut *moralem* ultra, quam dixi, *certitudinem* minime progrediamur. Hinc enim oraculorum fidem eversam; hinc miram Religionis vel ab ipso exordio amplificationem irrisam et elevatam; hinc Sanctorum virorum non eximias modo virtutes, sed vulgo

et passim perpetrata prodigia, quantum assequi vel commovendis suspicionibus, vel congerendis dubitationibus, vel si qua alia ratione possunt, labefactata et convulsa; hinc Martyrum agones, supplicia, cruciatus, quaestiones, responsa, suppliciorum causas atque necis ad acerrimam disquisitionem eo ab istis vocatas animo vel legimus, vel audimus, ut Catholicam Ecclesiam tanto simul et ornamento spoliarent et firmamento nudarent. Itaque quum neglectam ab his videmus totius antiquitatis auctoritatem, quum vetustissimas traditiones labefactatas, quum provinciarum ac populorum consensum repudiatum, quum laesam graviter Sanctorum Patrum existimationem, illisque turpissimam credulitatis inustam notam, perinde ac in summa rerum omnium ignoratione constituti nihil prope ingenio consequi, nihil ratione internoscere potuissent; quid nempe ipsi videmus, et non sine indignatione videmus, nisi eo con[illegible]s superborum hominum conatus, ut certissima Ch[illegible]ianae Religionis propugnacula subvertantur?

At enim, inquiunt isti, se, quae fecerint, unius veritatis amore fecisse. Hinc si quid paullo intemperantius factum, aut arrogantius dictum ab ipsis videatur, id non immoderatae in opinando licentiae, sed unius veritatis amori adscribendum esse contendunt.

Ego vero veritatem plurimi facio, omnique eam studio ab omnibus inquiri volo. Illud etiam addo, nihil esse docto praesertim homini in hac vita optandum

veritate atque expetendum magis: nihil, quod in ejus contentionem venire possit: hanc esse unam, quae sit rebus omnibus anteponenda: hanc unam a litterato homine spectari oportere: de hac una denique doctissimos quosque laborare. Sed quid causae esse dicam, aut suspicer, cur homines illi, quos Fastus misere abripuerit, de veritate tantopere allaborent, ac vehementius, quam caeteri, anxii ac solliciti videantur? Numquam veritati fautores, numquam patrocinatores, numquam laudatores defuerunt. Scimus, sapientissimos quosque viros a praejudiciis vacuos, atque liberos veritatis amore flagrasse, atque ejus inveniendae gratia nullis umquam laboribus pepercisse. Scimus, ipsos Ecclesiae Patres de una fuisse veritate sollicitos, ad eamque conatus omnes cogitationesque contulisse, ac propterea multa, prout sese illis occasio obtulit, tamquam falsa rejecisse, ac multorum etiam auctoritati, qui contra, atque ipsi sensissent, refragari non dubitasse. Scimus denique, eosdem veritate inventa tum demum existimasse, se laborum suorum fructum esse amplissimum consequutos. Quid igitur est, cur ambitiosi homines tam magnum veritatis amorem praeseferant, perinde ac illam ita desertam ab omnibus putent, ut nemo sit, qui, praeter ipsos, ejus sibi patrocinium suscipiendum esse arbitretur? Maxime timeo, Auditores, ne dum, quod omnibus commune est, sibi proprium facere ac vindicare student, non tam ab istis aliqua li-

centiae suae quaesita defensio sit, quam nova Christianae rei evellendae occasio captata esse videatur.

Quamquam quid est, quod nova nos isti arte pervertere meditentur, perinde ac integra adhuc res esset, neque plane intelligamus, non modo desertam ab istis et oppugnatam, sed proditam ac perditam veritatem? Revocent in memoriam certissimos errores illos, de quibus nulla esse controversia possit, qui nempe ab iis, si umquam alias, hoc certe tempore ubique disseminantur. Aspiciant certissimas illas veterum sententias levissimis de causis, tenuissimis suspicionibus, inanibus conjectûris per summam injuriam repudiatas; novas quasdam atque hactenus inauditas in earumdem locum suffectas, partim ab istis, acute scilicet, excogitatas, partim, ne dicam omnes, quod quidem sine erroris periculo affirmare possim, ab illis excerptas, a quibus minime omnium debuissent. Recolant animo nova illa inventa, quae proferunt, non ea quidem sive ad terrae figuram definiendam, sive ad syderum conversiônem declarandam, sive ad aliud simile quiddam spectantia, quod parum referat, qua ratione tandem constituatur, sed ad Christianam labefactandam Religionem pertinentia; ac tum, si possunt, in munitissimam se recipiant veritatis arcem, quam propriis ipsi manibus disturbare atque evertere non dubitarunt. Hi certe errores sunt, et quidem maxime noxii et perniciosi, in quibus extirpandis, si veritatem amarent

et errores aversarentur, istorum probari deberet industria, et veritatis amor enitere. Nam quid magis verum, quam quod christiano, ut dicimus, *dogmate* continetur? quid magis falsum, quam quod eidem adversatur? quis reperietur error, qui sit iis, qui christianae veritati opponuntur, exitiali indole comparandus? Quid? tu istis viam sternis erroribus? tu eos impune serpere? tu crescere? tu diffundi in immensum patiaris, et mentionem facere audes veritatis, quae tantum abest, ut eos tueatur atque defendat, ut potius persequatur atque condemnet? Hoc studium veritatis erit? hoc susceptae veritatis patrocinium?

Verum quid ego diutius dissimulem, quod jampridem mecum ipse cogitans animo concipiebam? Ego enim sic existimo, Auditores, istos, quum id agere videntur, ut veritatem quaerant, non reipsa veritatem quaerere; sed veritatis simulatione eo rem omnem adducere conari, nihil ut amplius veri, nihil rati, nihil certi sit atque explorati. Ut enim Lactantius ait: *Dum isti contradicendi studio insaniunt, dum sua, etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subvertunt, non tantum elapsa illis veritas est, quam se quaerere simulabant, sed ipsi eam potissimum suo vitio perdiderunt.* Nimirum istos veritatis quadam veluti specie non veritatem quaerere, sed, si quid quaerunt, evidentiam quaerere, notius est, quam ut testificatione aut mea, aut cujusquam indigeat. Perinde enim de

rebus a nostra memoria disjunctis inquisitionem instituunt, ac si de recentibus ageretur. Perinde testimonia postulant, testesque flagitant, ac si viverent, aut excitari ab inferis possent, adeoque deberent. Et quamvis communis persuasio atque auctoritas ita rem evincat ac doceat, ut prudenter de ea dubitari non possit; tamen invicti pugnacesque resistunt, ac nisi res evidenter demonstretur, nulla placari ratione possunt ac persuaderi. Jam vero quum evidentia nonnisi rarissime, et certis tantum in rebus haberi possit, veritatem minime quaerere convincuntur. Non quia evidentia veritas non sit, sed quia ejusmodi est, ut, si eam consectari unam in inquirendo velimus, quandoquidem plerisque in rebus assequi evidentiam non possumus, necessario desperare de veritate ipsa cogamur.

Fateor hic, Auditores, quemadmodum immoderata illa cogitandi licentia me vehementer initio dicendi excruciabat; ita nunc nimia ista veritatis atque adeo evidentiae cupiditate multo sane me vehementius angi atque turbari. Quid enim tam verum, quam Fides Christiana? quid isti vero tam inimicum, quam evidentia? Quid certius tenere debemus, quam quod nobis credendum Ecclesia proponit? quid autem minus ausu temerario investigandum novimus ac discutiendum? Itaque qui immoderata ista veri cupiditate abripiuntur, quo demum saepissime deducantur, et videre vos arbitror, et luctuosa nimis ac pervulgata satis mul-

torum sapientum atque eruditorum hominum exempla docent, qui hac ipsa via, quam instituerunt, ut specie veritatis decepti evidentiam consectarentur, sibique res demonstrari vellent, in certissimos errores prolapsi sunt. Ex hoc numero fuisse accepimus Claudium Berigardium, ex hoc Caesarem Cremonium, ex hoc Petrum Pomponatium, et Andream Caesalpinum, et Henricum Regium, aliosque multos, qui licet veritatem sequuti, in re tamen summi maximique momenti, et quam unam debebant praecipue expetere, plane miseri ac miserandi, contempta Ecclesiae auctoritate, nulla sunt ratione assequuti. Quare illud firmum ratumque sit, ambitiosos homines, qui caeterorum omnium rationem et auctoritatem deprimunt ac labefactant, eo demum conatus referre suos, ut Christianae Religionis fundamenta subruant atque convellant.

Sed quoniam iidem homines, quos Fastus abripit, suam tantummodo rationem et auctoritatem extollunt et augent; illud quoque agunt, ut non Christianam modo, sed omnem omnino Religionem de medio tollant.

Et sane, Auditores, si rem velimus diligenter inquirere atque uno veluti intuitu contemplari, illud reperiemus profecto; nullam omnino existere posse Religionem, nisi rerum omnium effectorem moderatoremque Deum agnoscamus, qui debitis virtuti praemiis pios homines afficiat, scelestos vero debitis crimini poe-

nis prosequatur. Jam vero hujusmodi homines, qui suam tantummodo rationem et auctoritatem extollunt et augent, eo demum misere prolabuntur, ut supremum illum, quem diximus, rerum omnium effectorem moderatoremque Deum de medio tollere pro viribus enitantur. Quum enim sibi et acumine ingenii et maximarum rerum scientia et disserendi facultate caeteris anteire mortalibus videantur, quamvis illud, quod apud Ennium legimus, recte noverint, philosophari quidem, sed non multis, oportere; tamen ita de Deo rebusque divinis agunt, ut omnia Religionis principia tamquam ludrica Poetarum commenta excipiantur. An non ita eos agere existimabimus, qui debacchantis ingenii quasi quodam aestu compulsi caelum ipsum, ut Horatius ait, stultitia petunt, et infinitam Dei naturam impurissimo audent ore contaminare; qui Dei gubernationem ac providentiam satis defendi ab impiorum obtrectationibus non arbitrantur, nisi duo esse principia, duosque veluti Deos, bonum unum ac bonorum omnium procreatorem, malum alterum ac malorum omnium effectorem cum stultissimis Manichaeis constituamus; qui Numinis illustrantis opem, quasi hominum vota nulla audire ratione velit, frustra exposcendam precibus praedicare non desinunt; qui pro aeternitate materiae disputant, eamque Spinozae vestigiis insistentes veluti ipsum Deum agnoscere non vereantur? Non ita eos agere existimabimus, qui, Divinitate su-

blata, inferorum loca perrumpunt, ut illam nullo umquam tempore defecturam suppliciorum sedem vindicandis impiorum hominum flagitiis constitutam irrideant, eamque cum Dei bonitate ac justitia nullo conjungi modo posse contendant; qui nullum virtutem inter ac vitium intercedere discrimen volunt; qui eamdem esse scelesti probique viri confecto vitae curriculo conditionem docent; qui turpissimas voluptatum illecebras tamquam minus flagitiosas ac turpes degustandas proponunt? Non ita eos agere existimabimus, qui immortalem minimeque corpoream, aut concretam animi naturam evertunt, ut omnia post vitae hujus, quam ducimus, spatium a nostro abfutura sensu confirment, omnemque, si fieri posset, aeternorum suppliciorum metum amoveant penitus ac repellant?

Quid? quod Religio nulla, nisi natura ipsa constans atque immutabilis, esse queat? Sed hujusmodi perditissimi homines, qui suam tantummodo rationem atque auctoritatem extollunt, illud efficiant necesse est, ut, quoniam de rebus omnibus ex suo quisque judicio pronunciat ac sentit, tam inconstans ac varia Religio sit, quam multa sunt ac varia hominum sententiis magis, quam colore ac vultu, discrepantium judicia. Hinc illud fieri videmus, ut ambitiosi viri, quum ea, quae ad Religionem pertinent, constitüere quisque contendat, plerumque adversis pugnare frontibus animadvertantur. Illi enim supremum aliquod Numen agno-

scunt, a quo omnia condita esse intelligantur, sed nulla deinde ratione regi, et gubernari: isti nullum supremum Numen agnoscunt, ajuntque, caelum ac terras, nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito coaluisse. Illi corporum particulas modo aeternas, modo cogitantes: isti nec aeternas nec cogitantes; sed ita comparatas volunt, ut res percipere cogitando possint. Illi animum nostrum neque incorporeum, neque immortalem: isti et incorporeum et immortalem; sed multis licet inquinatum vitiis criminibusque pressum ab hac misera mortalitate ad felices beatorum sedes expeditum atque alacrem evolaturum. Illi leges ac poenas necessario et natura ipsa positas et constitutas: isti leges omnes ac poenas vel vatum somnia, vel regum ac tyrannorum figmenta censent. Illi Religionem reipublicae utilem ac salutarem: isti noxiam ac perniciosam esse arbitrantur. Quare videte, Auditores, num dubitandum vobis sit, utrum a Litteratorum Fastu non Christiana modo, sed omnis omnino Religio, quantum fieri enitendo possit, de medio penitus auferatur.

Video sane, quid hic pro hujusmodi litteratis hominibus afferre quidam consueverunt: istos nimirum plura et vere et religiose protulisse, quibus non modo nos erudiri, verum etiam ad pietatis ac Religionis deduci officia possimus.

Ego vero non committam, Auditores, ut contra

veritatem a me quidquam in hac causa dictum, aut negatum, aut dissimulatum argui possit. Fateor itaque, nonnulla ab istis et vere et religiose esse prolata. Sed primum illud quaero: Quis eum minime reprehendendum existimaret, qui nobile quodvis aedificium evertendum curaret, ut nescio quid ad antiquitatis notiam pertinens abditum in fundamentis ac depressum erueret? Quis illum minime condemnandum putaret, qui collem frugiferis arboribus consitum et pulcherrime convestitum, excisis oleis, eradicatis vitibus, extirpatis arboribus subvertere conaretur, ut sibi minimam auri particulam in ejus visceribus latitantem compararet? Nos vero Litteratorum Fastum minime damnandum censebimus, qui licet veri aliquid ac religiosi protulerit, tantam perniciem, quantam vidimus, Religioni inferre, tantam importare vastitatem non dubitarit? Deinde si Litteratorum Fastus veri aliquid honestique protulit, hoc aegrius ferri molestiusque debet. Nam si in rem ipsam nos altius insinuare velimus, illud profecto non sine causa statuemus, ea illos homines mente nonnulla et vere et religiose proferre, ut majorem Religioni inferant calamitatem. Si enim libere falsa et commentitia propugnarent, si aperte foedissimas voluptatum illecebras commendarent, si palam Religionis contemptum insinuarent; quis tam rationis expers ac tam parum de se cogitans inveniretur, qui, quum in haec teterrima incideret monstra, toto corpore atque animo non per-

horresceret? Sed quum multa etiam vere proferant, atque honeste religioseque constituant, quis explicare dicendo possit, quot hominum mentes hujusmodi artibus a Religione abducantur?

Recolite vobiscum ipsi, Auditores, quonam pacto haereses illae, quae duobus ab hinc saeculis omnem non Ecclesiae modo, sed totius etiam Europae statum conturbarunt, ad Religionis ac publicae tranquillitatis exitium eruperunt. Obversabitur profecto vobis ante oculos acerrimum illud, quod in Patres, in traditiones, in ritus institutum examen fuit. Occurret verendum illud antiquitatis judicium, a quo fuit non sine magno animorum aestu reclamatum. Obstrepent auribus voces illae longe ac late diffusae, quibus non modo domorum penates, sed etiam theatra et compita personuerunt: Ecclesiam a venustate formaque pristina defecisse; purissimam olim Christi sponsam jam rugas ac maculas contraxisse; vindicari ipsam ac restitui in veterem amissi decoris speciem oportere. Quo tantus tantarum rerum apparatus, ac tanta tot sermonum molitio reciderit, non ignoramus. Dolemus adhuc tot filios e matris amantissimae abstractos sinu ac misere avulsos, tot nobilissimas nationes a communione catholica segregatas, tot florentissimas Ecclesias prorsus eversas, et luctuosissimam tot regnorum a Romana Fide defectionem lugubri adhuc lamentatione prosequimur.

Age jam prisca illa tempora cum nostris breviter

conferamus. Nunc etiam fortasse magis, quam olim, ad severissimum omnia examen revocantur, infinitae passim disquisitiones instituuntur, dubitationes de rebus omnibus commoventur, et, neglecta Patrum ac totius antiquitatis auctoritate, nova quotidie in lucem proferuntur opinionum monstra, quae rationi magis conformia non praedicantur modo, verum etiam superbe et impie propugnantur. Nunc ratio summis in caelum laudibus extollitur, ejusque lumini humana ac divina omnia subjiciuntur. Nunc maxime commendatur probitas, ac praeclara de illa passim excuduntur praecepta; perinde ac ista priscis hominibus minime cognita fuerint, minimeque perspecta. Nunc in mores corruptos novus quidam undique assurgit clamor; perinde ac exitiales illi Philosophorum libri, a quibus ipsos in mores vehementissime declamatur, non eos usque corruptiores efficiant, et qua sacrarum religionum contemptu, qua impiarum doctrinarum lue non subvertant. Nunc saeculum hocce miserum nova illustratum luce jactatur; perinde ac praeterita saecula miserandis in tenebris jacuissent, quod minime a Religione defecerint, quod animorum immortalitatem non irridendam putarint, quod aeternas piorum hominum sedes ac scelestorum poenas non substulerint, quod ipsum denique rerum omnium effectorem molitoremque Deum non denegarint. An ex tanta rerum molitione vel eadem, vel majora consequi possint damna, quae ex ap-

paratu illo, quem paullo ante descripsi, sunt consequuta, ego vero non dicam, nec tantam comparari perniciem ominabor. Timorem mihi reservabo, illudque unum, quod sentio, libere aperteque dicam; ab ambitiosis hominibus multa et vere et honeste et religiose proferri, ut incauti facilius in errorem inducantur, ac major Religioni calamitas et vastitas inferatur.

Haec habui, quae contra Litteratorum Fastum ex hoc loco dicenda existimarem; nec dubito, quin quibus benevolis Auditoribus usus sum, iisdem aequis Judicibus utar. Quid restat, nisi ut vos orem obtesterque, Auditores, ut istorum coercere licentiam, et Religionis patrocinium, quae, hac immoderata opinandi licentia inducta, summum in discrimen adducitur, suscipere velitis? Cogitate, quaeso, Auditores, quam magna ac multa a Religione accepistis: quibus haec vos muneribus nullo non tempore locupletet: quae vobis assidue bona suppeditet: qua felicitate sit vos consequente tempore affectura. Haec vos nascentes suis amantissime ulnis excepit: haec in lucem editos veteri detersit labe: haec fulgente primum rationis luce verae felicitatis fontes vestris mentibus commonstravit: haec ad eamdem consequendam, qua blandis vocibus, qua terroribus excitavit: haec lapsos jacentesque erexit, afflictos recreavit, ac pene perditos ad pristinam salutis viam revocavit: haec saluberrimis in-

struit legibus ac praeceptis, et in quoque vestrum continenter insidens modo noctes ac dies acutis quibusdam stimulis animum mentemqne concitat, modo propositis aliorum exemplis commovet, modo spe praemiorum erecta fovet, modo tacitis quibusdam vocibus monet, ut omnes industriae nervos contendatis, quibus illa vobis, quae in immortalibus Beatorum sunt constituta sedibus, numquam peritura bona comparetis. Hanc, quae tanta amoris argumenta praebet, ab ambitiosis hominibus, qui teterrimum illi bellum indicunt, minime defendendam putabitis? Reprimite igitur concitatos illorum et caecos impetus: immoderatam in opinando licentiam cohibete: insanam libere cogitandi libidinem refroenate; et, si alias ex hoc ipso loco Litteratorum Fastum, primum quod Litteratis, deinde quod Litteris summam perniciem afferat, unanimi suffragiorum consensu ejiciendum putastis; videte, quid sentire ac decernere hodierna die debeatis, qua summum ab ipso illatum Religioni damnum ac detrimentum intellexistis. Dixi.

DE CRITICIS

ORATIO V.

Tandem aliquando, Auditores, Litteratorum Fastum de gravissimis criminibus triplici a me actione postulatum atque convictum ex Athenaei nostri finibus vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem communi omnium gratulatione ac faustis ominibus prosequuti sumus. Nulla jam pernicies litteratis hominibus, nulla litteris calamitas, nullum Religioni detrimentum poterit a peste illa teterrima comparari. Non jam amplius molestas thrasonum voces, qui stultitiae et infamiae et pertinaciae notam doctis cordatisque viris inurant; non ineptas gerronum nugas, qui litteras omnes corrumpant misere atque pervertant; non amentem balatronum audaciam atque furorem, qui sacra ac divina omnia labefactare conentur, intra patrios Lycei parietes pertimescemus. Illum sane hostem perdidimus magnificeque vicimus, cum quo istiusmodi hominum natio abjecta concidit ac profliga-

ta. Sed in hac causa, Auditores, in qua exultare quodammodo ac triumphare videtur oratio mea, illud me vehementer angit et excruciat, quod duplex adhuc a Litteratorum Fastu genus hominum alatur ac foveatur, a quibus, nisi tempestive ac mature provideatur, non minora, quam quae antea impendebant, mala erunt nobis merito pertimescenda. Video enim alios, qui se Criticos profitentur; alios, qui nullos omnino Criticos pati possunt. Est autem utrumque vitium, nec facile dixerim, utrum magis formidandum, tum esse Criticos tam audaces, qui temere omnes reprehendant, tum esse homunculos tam arrogantes, qui nulla velint ratione reprehendi. Illi vel ignoratione rerum, vel pravitate animi etiam vera ac recta subvertunt: isti inani quadam spe gloriae comparandae ducti etiam falsa ac prava disseminare impune vellent in lucemque proferre. Quae duo quum non litteratis ac litteris modo, sed religioni quoque infesta maxime intelligam, duplex hoc hominum genus esse mihi demum coercendum putavi. Duplicem itaque actionem instituam, alteram de Criticis, alteram de Criticorum Osoribus; illam quidem hodierna die, si me, qua soliti estis, benevolentia excipiatis; hanc autem eo, si vires suppetant, tempore, quo susceptae vitae rationes me ad usitatum ex hoc loco dicendi munus revocabunt.

Nullus aetate hac nostra in re litteraria locus esse videtur, Auditores, qui vacare omnino Criticis a-

nimadvertatur. Critici in gymnasiis, Critici in Academiis, Critici in privatis congressibus, Critici in concionibus publicis, Critici, quid vultis amplius? ubique occurrunt. Haec sunt videlicet felicia tempora, haec aurea saecula, quorum utilitati et commodis tot seduli inservire homines dispiciuntur. Pudet me tui, Romana respublica, quae populo illi multitudine pene innumerabili binos tantum praeficiendos Censores existimasti. Nobis tot propemodum Censores, quot homines, ante oculos obversantur. Quales autem? Non enim interest, multine sint, an pauci, si tales prorsus non sint, quales personae dignitas requirit. Equidem sic existimo: in hac Criticorum quasi natione alios omnino ineptos, alios etiam esse perniciosos, qui ab hac praestantissima, ad quam inconsulti accesserint, arte sint repellendi.

Ad ineptos primum quod attinet: Audiunt belluli quidam homines, et ad omnem elegantiam non tam corporis, quam litterarum, ut sibi videntur, effcti, Criticam artem ab eruditis doctisque viris celebrari, hanc summis in caelum laudibus extolli, hanc reliquis artibus anteponi, hanc maxime utilem, atque adeo necessariam jure ac merito praedicari. Hac tanta sibi hujusce artis nobilitate et dignitate proposita, oculos, vultum, incessum ipsum ad severitatem componunt, et sese Criticos profitentes censoriam attollunt virgam, qua nullo discrimine quoscumque obvios impudentissi-

me caedere non verentur. Deponant modo paullisper triste illud atque horridum supercilium: exuant gravem illum vultum atque severum: detumescant saltem aliqua ex parte spiritus illi immoderati, quibus insolentius efferuntur; efficiam profecto, ut ex me aliquando discant, quam minime idonei ad eam, quam profiteri artem velint, inveniantur; atque adeo ut eam consulto abjiciant, cui sese penitus tradiderunt.

Et sane, Auditores, si suis omnia momentis velimus expendere, magnum profecto onus et munus est suscipere et profiteri, se eum esse, qui Critici partes sustinere possit, et de maximis rebus, de ingenio scilicet doctrinaque hominum scite et graviter pronuntiare. Quid enim aliud in litteraria republica Criticus est, nisi quod in bene constituta civitate Judex; ut proinde quemadmodum a judice perfectam rerum absolutamque notitiam quaerimus; ita plenam cumulatamque a Critico rerum, quae sciri possunt, cognitionem postulemus? Nisi enim hanc sibi uterque labore plurimo et contentionibus maximis comparaverit, nec poterit ille, incognita causa, sententiam ferre, nec iste rectum, occasione oblata, judicium facere, quo non solum vera a falsis secernat; sed illa etiam, quae in quaque re sunt optima, recognoscat.

Hoc autem actionis meae jacto veluti fundamento, intelligent Graeculi isti, non enim gravissimum Critici nomen expectent, quam inepti sint ad illam

artem, in qua se tantopere jactant, existimandi. Quid enim? Putantne homunculi isti, ne singulas oratio artes percurrat, se tot ac tanta, tam longe lateque dispersa, quae sapientissimi viri in omni doctrinarum genere scriptis prodiderunt suis, ingenio pervestigasse, memoria complexos, cognitione esse assequutos? Putent isti, per me licet: adhuc non repugno. Repugnat autem, me tacente, cutis illa tam laevis, cujus nitori quotidie serviunt: repugnat capillus ille tam vibratus, cujus elegantiae non exiguam diei partem, quasi tributum ex censu, devovent: repugnat incessus ille tam fractus, ac totius corporis habitus tam delicatus, cujus mollities omnia ipsorum sibi vindicat cogitata Sunt nempe ista certissima otii desidiaeque signa, non vigiliarum indicia, non laboris, sine quo, eoque maximo et acerrimo, comparari tanta, quantam Critici munus postulat, doctrina nequit.

Atqui, ajunt isti, non exiguam nobis doctrinae copiam comparavimus: studiorum, ut loquuntur, curriculum confecimus: doctoribus, iisque optimis, usi sumus: gymnasiis relictis, multa legimus, multa cognovimus, multos eruditorum coetus celebravimus.

Audio: non enim ex illis sunt, qui in artibus vel fabrili, vel sutoria, vel earum simili adolescentiam contriverunt. Studiorum curriculum confecerunt: at oscitanter, at gravate; ut illis haec ipsa studia, non cupiditatem ac sitim, ut fieri oportebat, incen-

derint; sed fastidium ac satietatem attulerint. Doctoribus, iisque optimis, usi sunt: at isti illos experti sunt desides, ineptos, leves, otiosos, et quantum ex praesentibus de futuris conjicere licebat, eos non litteratos futuros, sed cives reipublicae vel inutiles, vel perniciosos tristi secum animo praecipiebant. Multa legendo cognoverunt: Forte aut Marinum, aut Guarinum, aut aliquid vel transalpinis, vel transmarinis proelis excusum, quod Catholicae fidei fundamenta subruat atque convellat. Eruditorum coetus coluerunt: at ipsorum similes, qui mutua sese adulatione scabunt, qui ementitis vestiuntur plumis, qui tamquam corniculae furtivis nitere coloribus assueverunt.

Sed verisimile non est, in tanta hominum multitudine aliquos non existere, qui sibi aliquid verae germanaeque doctrinae comparaverint.

Non contradico, immo vero libenter assentior: At illud animadverto, multo sane minorem doctrinae copiam ex eo requiri, qui ad aliquam facultatem accedit, ut suavitate illa demulceat animum, quae proficisci a litteris solet; quam ex eo, qui hac se mente ad studia convertit, ut aliorum non magister modo, sed etiam censor evadat. Ille pacis atque otii amans numquam fortasse cum inimico concertabit: hic umbrae et quietis impatiens in solem atque aciem prodire gestit. Ille id sibi unum proponit, ut si forte gladium e vagina educere ad pompam velit, non eum

inconcinne tractet ac verset : hic illud contendit, ut certum infligat ictum, et lacessentem hostem conficiat. Ille, si prodeat, veniam facile impetrabit, si qua in re offenderit, si quid erraverit: laudabitur, quod multa noverit, neque tamen idcirco vituperabitur, quod non pauca sibi minime addiscenda existimarit: hic, si quid forte peccet, corrigitur, reprehenditur, castigatur; propterea quod sibi illud contra jus omne sumpsit, ut alios corrigeret, reprehenderet, castigaret. Quid enim minus ferendum, quam eorum, quae in aliqua facultate quispiam peccarit, rationem repetere illum, qui, quum hanc ipsam facultatem penitus non cognoscat, in eo persaepe erret, in quo alterum corrigit ac reprehendit? Nonne vel privato objurgatori irasci vehementer solemus, si, quibus ipse implicetur, ea in nobis vitia perstringat ac persequatur? Quid de judice existimandum putabimus, qui quo majori dignitate caeteris antecellit, eo etiam acriora de se udicia, si quid a muneris ratione deflexerit, experitur? Jam vero Criticum judicem esse ab actionis initio intellexistis. Itaque licet permittamus, in tanta hominum multitudine existere eos, qui sibi aliquid verae germanaeque doctrinae comparaverint; non eosdem tamen idoneos arbitrabimur, qui de quavis facultate non callide solum sciteque disputare; sed etiam, quum opus fuerit, in sapientissimorum virorum consessu tamquam arbitri ac judices sedere possint.

At enim, inquiet adhuc ex graecûlorum natione aliquis, majus quiddam, quam par esse videatur, a me in Criticis requiri.

Ego vero, Auditores, aliquid ipsis remitterem et condonarem, si minùs ipsi sibi sumerent et arrogarent. Sed ipsi nullis de rebus non disputant, nullis de rebus sententiam ferre non audent, nullas per artes non tam non vagantur, quam non grassantur, et modo Theologi, modo Philosophi, modo Mathematici, modo Rhetoris, Poetae, Philologi, Historici, Grammatici judices correctoresque, nova veluti cerebri molitione facta, constituuntur. Jure igitur ab ipsis postulo, quod ipsi ultro suscipiunt ac profitentur. Sed quo tandem cumque modo circumscribenda in Critico scientia sit, illud sane certum exploratumque esse doctissimi viri censuerunt, hanc ipsam scientiam summam esse oportere, ut cum dignitate atque utilitate sustineri tanta provincia possit. Quum autem summam dico, non vulgarem scientiam intelligo, non usitatam, non in medio positam, quam quivis facili comparare sibi negotio possit; sed eam, quam homini vigilanti, diligenti, industrio, laborioso experrecta mens, ingenium acre, memoria tenax, diuturna exercitatio, usus denique non intermissus afferre solet. Haec porro scientia summa eritne in adolescente inconsulto, qui, vix manum ferulae subduxit, continuo hunc poetam malum, illum oratorem ineptum, hoc dictum humile, hoc absurdum,

omnia insuavia et languida non desinit praedicare? Atqui hic a scribendi nitore atque elegantia longissime peregrinatur: hic ad Graecorum et Latinorum fontes numquam accessit: hic neque Grammaticam tenet; non eam dico, quam profitentur ii, qui pueris latinae linguae rudimenta tradunt, de quibus est Luciani illud oppido festivum: Jovem, quem oderit, eum pueris erudiendis addicere; sed eam, quam M. Terentius Varro omnium Romanorum, teste Tullio, eruditissimus, quam P. Nigidius civitatis Romanae, auctore A. Gellio, doctissimus, quam C. Julius Caesar in libris, quos de ratione latine loquendi ad Ciceronem scripsit, quam Cicero ipse non elocutionis modo, sed etiam eloquentiae parens, quam innumerabiles alii recentiores viri ingenio ac doctrina cum veteribus comparandi graviter copioseque tractarunt. Eritne in juvene imberbi, qui repente prosiliens audet minaces oculos in omnes Historicorum classes circumferre, et tamquam Cato aliquis censorius alios tribu movet, alios Senatu ejicit, alios jure suffragii privat, aliis aliam ignominiae notam inurit? Atqui hic non regnorum, aut urbium originem, non populorum mores, non antiquitatis memoriam perfecte assequutus in veritate ipsa inquirenda decipitur; et quamquam pro sua libidine hunc falsitatis arguat, illum mendacii insimulet; tamen quid falsitas, quid mendacium sit, quid inter se differant, ignorat, unumque pro altero indiscriminatim usurpat.

Eritne vulgo in omnibus, qui sibi Critici nomen munusque vindicantes quasi flagello armati in omnes litterarias provincias pedem repente inferunt, haerentemque capiti coronam, quibus velint, detrahere non reformidant? Atqui isti, licet modo totas noctes in alea fortunasque consumant, modo dies integros tota passim urbe concursent, modo amoribus irretiti matronarum lateri haerentes aspiciantur, eadem alacritate de linguarum natura, quas numquam didicerint, ac de Matheseos elementis, quae vix audierint; de obscurioribus sacrarum Scripturarum locis, quarum interpretes numquam legerint, ac de abditis Theologiae penetralibus, cujus ne limen quidem attigerint, audacter impudenterque disceptant. Cur itaque ineptissimis hisce graeculis non os obstruimus? cur loquacissimis hisce rabulis linguam non praecidimus, ut importunam funditus loquacitatem extirpemus? cur eos saltem ad Pythagoreum gymnasium non amandamus, ubi prius tacere discant, quam de Criticae artis munere exercendo cogitent, et ad hanc tantam provinciam administrandam accedant?

Sed ineptos hujusmodi relinquamus: de perniciosis aliqua delibemus. Quum autem perniciosos dico, illos ego Criticos intelligi a vobis volo, Auditores, qui vel mentis, vel voluntatis aliquo laborent vitio, quo si semel correpti ad artem Criticam accesserint, ea certe misere abutentur.

Ac primum quam multi sunt ea mente praediti, quae veritati maxime adversetur? Occurrunt ii, qui sive natura, sive consilio ita sunt comparati, ut Scepticorum more nihil credant, nihil verum habeant, de omnibus ambigant, omnia in dubium revocare velint. Occurrunt ii, qui ingenio quidem non tam pravo, sed eodem fere morbo, quo Sceptici, implicati, Academicorum more de quaque re in utramque partem disputant, nulli assensum praebent, nihil negant, nihilque affirmant. Occurrunt ii, quos cerebrosos appello, qui, quam semel malam animo imbiberint opinionem, licet eos rationibus aggrediaris, argumentis oppugnes, ac de loco, quem insederint, deturbare coneris; nullo tamen adduci modo possunt, sibi ut illam eripi patiantur. Jam vero quid hujusmodi Criticis perniciosius fingi atque excogitari possit? Qui enim Sceptici sunt, ea laborant lue, quae ita omnem fere rationem inficit atque corrumpit, ut luctuosum ab istis bellum non modo scientiis omnibus, sed fidei quoque Catholicae inferatur. Qui vero Academici sunt, quemadmodum in eo solum ingenii vires contendunt, ut, quidquid in quaque re minus verum objicitur, sedulo inquirant; ita arte Critica, quae quum veri disceptatrix est, tum propositis in utramque partem rationibus attente singula perpendit, non minus sane, quam Sceptici, abutentur. Qui denique cerebrosi sunt ac pervicaces, ad eam sententiam, quam semel animo sunt complexi, i-

ta fixi atque immobiles adhaerescunt, ut quamvis a fronte, a tergo, a lateribus premantur undique et oppugnentur; tamen conatus omnes tuos una, qua sola pollent, pertinacia deludant. Nam quid ego illos commemorem, quos impotens veritatis studium atque una evidentiae cupiditas abripit atque pervertit? Quid enim haec tandem pariet, nisi quod venaticis usuvenire canibus solet, qui, quo acriores in persequendo sunt, eo facilius praedam amittunt, atque inanes post longam incitatissimi cursus defatigationem revertuntur? Quid, quod plurimis in rebus, in quibus maxime expetenda evidentia esset, haberi omnino non potest? Quare qui *morali*, ut ajunt, *certitudini* non acquiescunt, quam unam ex triplici evidentiae genere noto satis et pervulgato Criticis relinquunt, abjicient populorum consensum, totam contemnent antiquitatem, communi resistent persuasioni, atque, ut more suo luculenter hac ipsa in re Augustinus, *nihil omnino humanae societatis incolume* permanere diutius posse patientur.

Quod si mentis vitio voluntatis quoque perversitas adjungatur, quid ad perniciem, quae a Criticis proficiscitur, addi capitalius potest? Hinc enim ira, illinc odium; hinc invidia, illinc indignatio; hinc ambitio, illinc partium studium, ac caeterae pestes, quibus noster inficitur animus, dominabuntur. Quid vero perniciosius esse queat, quam homines illos ad hanc

artem accedere, quos tot pravae animi permotiones de judicio consilioque deducunt? Ego sane semper ita sensi, Auditores, nullum ab istis hominibus expectandum esse bonum: contra nullum non esse malum pertimescendum. Atque utinam solus timor nos anxios haberet atque sollicitos, ac non potius ea ipsa, quae conjectari facile poterant, non minima ex parte mala consequuta jam essent, quibus et nos miserandum in modum conflictaremur, et summum in discrimen religio adduceretur! Saeviunt enim isti passim, ac turbulentis omnia seditionibus permiscentes, veluti canes infestissimae, aemulos quosque non allatrant modo, sed etiam, qua possunt crudelitate, mordent. Quod si nefariis, quas se retulisse fingunt, victoriis laeti in eos incidant, in quibus ob egregiam virtutem atque doctrinam ita omnia sint solida, ut nihil emineat prorsus, cui possint dentes illidi; rapiunt in pejus omnia, nodum in scirpo quaerunt, Venerem denique, ut dicitur, culpare si nequeant, saltem ejus sandalia reprehendere aggrediuntur. Erecti magis et elati confingunt falsa, deterunt laudes, labefactant virtutes, scripta ipsa corrumpunt ac foedant: corrupta vero ac foedata, quasi ab iis, qui nihil tale umquam excogitarunt, confecta essent atque evulgata, sibi et aliis deridenda proponunt. Cedit aliter res atque ipsi arbitrabantur? Veritas ipsa validissimis viribus ad causam suam defendendam naviter accedit? Probi doctique viri in exitiales

insurgunt Criticos, qui exagitantur passim ac traducuntur? Alia capiunt consilia, et a carpendi voluntate non discedentes latebras captant, et clandestinis venena artibus molientes ea suis illiniunt chartis, et quo impunius se id facere posse arbitrantur, eo animosius in vulgus effundere non reformidant. Spargi continuo rumor in loca omnia, reique indignitate animos commovente, alii metuere ei, in quem potissimum ea sit tempestas concitata, alii metuere sibi, et alieno edocti periculo de nominis existimatione tuenda sedulo cogitare. Interea passim litterarum studia refrigescunt ac languent, et foecunda illa, quae publicis inservire commodis ingenia possent, aut nihil pariunt, aut, si quid pepererint, Criticorum metu celant et condunt. Sed quamdiu, Auditores, hic nos impune furor eludet, vexabit improbitas, terrebit audacia? An expectabitur, dum religionem ipsam, dum fidem, dum sacra omnia ad caeteras funestissimas clades lamentabili quodam veluti latrocinio tandem adjungant? Agerent hoc ipsum, ita me Superi ament, hoc, inquam, ipsum malum certe omnium maxime formidolosum agerent, siquidem Critici perniciosi possent: ac tum demum forte explicarentur illae frontes tam obductae, obmutescerent illae linguae tam loquaces, placaretur illud odium tam atrox, furor denique et rabies illa tam demens conquiesceret, si Pontificum decreta convellerentur, si totius antiquitatis auctoritas repudiare-

tur, si Sanctorum Patrum judicium, non specie quidem, sed ipsa re, negligeretur, si divina omnia teterrimis seditionibus turbarentur, si denique omnes, Catholica religione relicta, pravas illas opiniones complecterentur, quae, si umquam alias, hoc certe tempore artis Criticae obtentu et simulatione ubique disseminantur.

Quae quum ita sint, illud vos intelligere arbitror, Auditores, si exiguum paucorum Criticorum numerum excipiamus, quibus idoneis et valde utilibus utimur, incredibilem nos perferre multitudinem et ineptorum et perniciosorum, qui ab ea, quam profitentur, arte repelli omnino debeant. Illi neque cognita prius, uti oportuit, ejus natura, neque exploratis proprii ingenii viribus ad ipsam temere accesserunt; rati scilicet, se ad munus hoc gravissimum satis paratos ornatosque, si ad illud cum laude obeundum animi plus, et audaciae, quam excellentis doctrinae consiliique attulissent. Isti insania mentis laborantes, pravisque animi permotionibus affecti minime illud expendere potuerunt, rectum artis Criticae usum maxime perverti ab iis, qui mentem a vero, animum a bono avocant ac reflectunt. Itaque ab arte hac praestantissima inepti quique repellantur. Non de hominum ingenio, non de doctrina, non de scriptis, quae non intelligunt, proferre aliquid deinceps audeant. Inepti quum sint, quandoquidem esse loquaces volunt, de ineptiis illis agant, de quibus

in plateis, in triviis, in circulis nemo non otiosus loquetur. Repellantur etiam perniciosi, longe abeant, recedant procul, vitam fugae solitudinique mandent. Sit illis perpetuus veluti carcer illa ab Ovidio eleganter descripta domus *imis in vallibus antri abdita, Sole carens, non ulli pervia vento, tristis, et ignavi plenissima frigoris, et quae igne vacet semper, caligine semper abundet*. Hic, quoniam adeo litibus et contentionibus delectantur, secum ipsi litigent atque contendant. Haec hominibus tranquillitatis publicae inimicis justissima irrogetur poena, ut vitam deserti ab omnibus atque ab humana consuetudine remoti in summa aegritudine ducant, qui omnium vitam infestam reddere atque odiosam consueverunt. Ineptis ac perniciosis ab arte Critica jam remotis, ad eam alacri accedant animo, qui praeclaro ingenio, memoria firma, summa eruditione, eximia doctrina, singulari prudentia excellant, qui rationis bene compotes, qui pacati, pii, quieti, moderati, religiosi existant: non modo nullam ab hujusmodi Criticis perniciem religio ac respublica pertimescent, sed utilitates maximas fructusque amplissimos consequentur. Dixi.

DE CRITICORUM OSORIBUS

ORATIO VI.

Si gravissimam olim in Criticos accusationem suscepi, quum ineptos omnes ac perniciosos a nobilissima omnium arte repellendos censui; novam hodie, ut recepi, nec minus ancipitem actionem in eos, qui nullos omnino Criticos pati possunt, instituendam mihi esse intelligo, Auditores. Ut enim nobis maxime optandum est, eos apud nos Censores vivere, qui ad munus, quod profitentur, idonei, et rei litterariae litteratisque viris utiles inveniuntur; sic illi coercendi sunt homines, qui cum quidquid vel meditando cogitant, vel scribendo proferunt haerenti animo diligunt et admirantur; tum mihi succensent acriter, quod non omnes omnino Criticos e Lycei nostri finibus depellendos putavi. Etenim se Criticorum omnium osores profitentes, atque a fastu misere abrepti ea, qua pollent, arrogantia negant, tam superbam, ut ajunt, dominationem in libera litteraria republica ferri posse, et,

nisi hanc velimus foeda bellorum civilium flamma conflagrare, contendunt ac postulant, ut Magistratus hujusmodi penitus extinguatur, quique vultu ad severitatem composito haec fidentius judicia exercent, omnes censendi jure arbitrioque priventur. Actum profecto esset, Auditores, ac de Critica nobilissima sane arte optimeque de nobis merita conclamatum, si, quod magnopere optarent, ipsorum postulationibus aequo a nobis animo acceptis, consequerentur. Itaque illud hodierna die oratione efficere enitamur, ut homines isti, reconciliata cum Criticis gratia, non modo eos non oderint, sed omni etiam colendos studio arbitrentur. Hoc ut pro virili consequar parte, illud breviter conabor ostendere, nihil litterariae rei, nihil litteratis viris accidere utilius posse, quam ut idonei reperiantur homines, qui Critici munus sapienter et graviter profiteantur. Hoc ego dum planum facere aggredior, tu, Senatus Amplissime, qui me favente caeterorum suffragantium civium admurmuratione et consensu in hanc iterum lucem domestica prodire ex umbra perhumaniter compulisti, ac novo plane et inusitato beneficii genere obstringere me ac devincire patriae voluisti, cujus quidem rei memoriam grato animo, ut debeo, colere numquam desinam; vosque omnes, quotquot huc convenistis, litteratissimi viri, ea dicentem, quae adolescentibus profutura esse censeo, vestra, quam mihi alias exhibuistis, benevolentia comiter sustentate.

Atque ut primum intelligatis, Auditores, nihil rei litterariae accidere utilius posse, quam ut sapientes reperiantur viri, qui Critici munus profiteantur; illud, quaeso, animadvertite, nihil in omni bene morata republica institutum esse praeclarius, quam ut idonei eligerentur homines, qui et ipsam graviter administrarent, et suum unicuique jus tribuerent, tuerentur leges, controversias dirimerent, praemia demum ac supplicia decernerent, quibus a justitia modis proficiscuntur. Nisi enim publicis rebus fuisset hac ratione provisum, et consceleratorum hominum improbitas passim impune volitaret atque omnibus omnia minitaretur, et bonorum paullatim probitas atque industria languesceret, neque ad egregia facinora excitaretur. Itaque illud sapientissimo isto consilio effectum est, ut et respublicae conservarentur, et nova veluti dignitatis accessione facta quotidie magis amplificarentur. Atqui hoc tantum boni in rem litterariam a Criticis profectum esse negare illi tantummodo possunt, qui Criticae artis vel ignorant naturam, vel simulant ignorare. Nam si litterariam rempublicam inspicere diligenter velimus, nihil profecto eorum, quae ad publicarum rerum et conservationem et amplificationem constituta sunt, in ea positum reperiemus. Hic nulli Consules, nulli Praetores, nulli Praesides, quorum voluntate ac nutu studia nostra inquirantur, et, qua fieri ratione potest, dirigantur. Libere legimus, libere

scribimus, libere loquimur ac disputamus; et quamquam in errores ac vitia aliquando gravissima prolabamur, nemo tamen est, qui ullum nobis poenarum genus infligendum esse constituat. Itaque ut navis in difficili et scopuloso mari deprehensa, nautico subducto clavo, nec tutum tenere iter posset, nec declinare a scopulis, et feliciter enavigare; ita res litteraria diutius stare minime potuisset, nisi providi quidam homines, ut peccandi licentiam coercerent, Magistratum veluti quemdam extra ordinem excogitassent, qui sine fascibus, sine apparitoribus, sine satellitibus tantam nobis culpae fugiendae curam injiceret, quantam vel ipsa regiae potestatis insignia vix attulissent. Jam vero hoc tam magnum ac tam salutare munus in rem litterariam Critici contulerunt. Etenim hanc sibi sponte, molestam licet, provinciam susceperunt, ut in hominum ingenium, industriam, atque doctrinam diligenter inquirerent, ac veluti casti integrique judices ea demum praemia et supplicia, quibus nostra maxime ambitio ducitur, laudem nempe ac vituperationem, tribuerent; quarum altera unumquemque acriter ad egregia facinora excitaret, altera a labe ac turpitudine deterreret. Incredibile prope dictu est, Auditores, quam grata virorum praestantium auribus illa praeconia acciderint, quibus non modo se, verum et lucubrationes suas ab hujusmodi rerum aestimatoribus celebrari senserunt; quantoque animi ardore caeteri homines dulci horum

quasi acroamatum cantu illecti contenderint, ut, quorum praemia expectarent, exempla pro viribus sectarentur. Fremuit interea passim error et inscitia, quae a nemine antea vexari solita indignissime tulit, sibi tamquam asello Aesopico leonis pellem, qua diutius homines fefellisset, repente detrahi, et censorio stilo contra se acriter districto omnes tentari latebras, omnia detegi vulnera, quidque in iis putridum corruptumque occurreret, evelli penitus et extingui. Fremat ipsa tamen, ut libeat. Litteraria respublica erecta ac recreata, quae in se a Criticis bona collata sunt, nullo umquam tempore desinet praedicare. Commemorabit, ut omni erroris nebula sensim depulsa; verum a falso distingui coeperit; internosci, qua sit via insistendum, quae in studiorum quasi curriculo relinquenda; qui duces optimi, quinam infidi; qui auctores legendi, quinam penitus ablegandi. Dicet, bibliothecas praeclarissimorum Scriptorum copia refertas et instructas; ex ipsis autem ea depulsa, quae ab ineptorum quorumdam hominum ingeniis abnormia ac foeda in lucem prolata per omnes imperii litterarii fines circumferebantur. Nec vero illud memori non animo recolet, quod Graecorum et Latinorum monumenta omni detersa labe exhibeantur; quod totius antiquitatis memoria, et graecarum rerum ambages sint omni sedulitate et cura evolutae; quod ars diplomatica acri sit judicio ingenioque perfecta; quod veterum numismatum usus sum-

ma passim cum laude vigeat; quod Geographia et Chronologia, praeclarissima historiae lumina, sint firmissimis legibus constitutae; quod Conciliorum opus sit adeo expletum, ut nulla deinceps labefactari vi possit; quod praeclara Sanctorum virorum facta aequo expensa momine sint evulgata; quod Ecclesiae Patrum scripta ita sint in lucem prolata, ut omnibus perfecta numeris suisque absoluta partibus existimentur. Quae quidem omnia dum recolet, illud sane profitebitur, sese Criticae artis praesidiis ad hanc lucem pulcherrimam devenisse. Quare quum Criticorum industria effectum sit, ut non modo litterae in ipsorum fide ac tutela quiescentes nihil detrimenti caperent, sed nova veluti accessione facta quotidie magis augerentur; illud profecto consequitur, nihil rei litterariae contingere utilius posse, quam ut idonei reperiantur viri, qui gravissimum de doctorum hominum scriptis interponere judicium possint.

Age jam quid litteratis accidere viris utilius queat, quam ut Critici existant, a quibus ea, quae in lucem passim proferuntur, sapienter atque acriter expendantur? Si enim a vero rectoque sensu judicare velimus, nihil esse litteratis ipsis ad nominis praedicationem magis accommodatum constituemus, quam ut vigilare diutius cogantur, atque illud, cui insistunt, opus diligentius elaborare. Atqui hanc illis curam molestam sane, sed maxime utilem ac frugiferam, inji-

ciunt Critici, a quibus maxime vexatos sese despectosque putant. Cur enim illa mentis ac virium tanta contentio, quum aliquid scribendo condunt, quod sibi depromendum esse arbitrentur? Cur plautinas ancillulas imitati tam accurate lambunt, quod maximis non sine laboribus pepererunt? Cur amicos obsecrant, ut ea, quae scripserint, omni expendere diligentia velint, et candido aperiant animo, quid sibi displiceat, quid mutari possit, quid adjici, quid exscindi? Nimirum eo conatus isti referuntur, Auditores, ut quum omnia a Criticis videant diligenter inquiri ac severe animadverti, nihil in lucem proferant, quod absonum sit, quod humile, quod obsoletum, quod abjectum; sed omnia grandia, splendida, illustria, magnifica; ut de horridis nitide, de obscuris illuminate, de jejunis plene, de asperis leniter, de severis hilariter, de rebus omnibus definite, explicate, apposite, luculenter agatur; ut denique omnia et egregie inchoata, et ad absolutionem adducta, et perfecta esse videantur. Qua quidem re nihil ad nominis existimationem contingere accommodatius posse ab iis etiam arbitror judicari, qui Criticos ad errorum omnium et ineptiarum perniciem erectos ac vigiles reformidant. Quid, quod Criticorum animadversionem, acrem licet ac severam, tamquam certum eximiae laudis indicium accipere litterati homines debeant? Quid enim est a Criticorum consuetudine tam remotum, quam ea scripta, quae minime pro-

bent, reprehendenda suscipere? *Etiam in acie*, ut Senecae verbis utar, *jacens praeteritur: cum stante pugnatur*. Nempe quum vires experiri suas Critici volunt, non Thersitae, sed Achilli similem aliquem nanciscuntur virum, in quem petitiones suas conjicientes crescere ipsi possint, ejusque splendore ac lumine illustrari. Quo igitur illae tam graves de Censoribus querelae tuae referuntur? Illosne odisse velis, qui clare illud aperteque praeseferunt, quam de te doctrinaque tua magnifice sentiant, quum te unum ex omnibus dignissimum esse arbitrentur, quicum acriter in litteraria palaestra de ingenio, de doctrina, de gloria, de dignitate contendant?

At enim, inquiet aliquis, pugnant Critici insano veluti furore ducti, ac tam procaciter pugnant, ut hostem deprimere, et conficere velle videantur.

Audio: sed illud primum animadverto: Si qui sunt, qui hac sese ratione gerunt, ut multos revera esse non sine litteratorum dedecore experimur, eos non ego Criticos appello; sed thrasones, qui gloriosa suarum tantummodo rerum praedicatione nostras quotidie aures pertundunt; sed gerrones, qui cum solos se sapientes jactant, tum alienas deterere laudes consueverunt; sed nebulones, qui, quidquid scriptitant, notis, ignotis omnibus legendum exhibent; sed nugivendos, quorum suffragia aut studium partium, aut gloriae cupiditas, aut largitio, blanda animorum conciliatricula,

corrogarit; sed cerebrosos, qui nihil fere dicunt, aut scribunt, quod veritate ipsa repugnante, qua pertinacia pollent, minime tueantur. Deinde, ut nulla de nomine contentio sit, si istos appellare Criticos velimus, quid est, cur hujusmodi hominibus irascamur, perinde ac haerentem alicujus capiti coronam eripere conando possint? Non potuit hoc Scioppius, qui non solum praestantissimos aetatis suae viros male acceptos mulctatosque dimisit; sed et Phoedro scribendi elegantia clarissimo, ac Tullio eloquentiae parenti rustici sermonis notam inussit. Non Claudius Verderius, qui Horatium Flaccum de aspera ac dura loquendi forma, Ciceronem vero ac Virgilium de barbaris dictionibus postulavit. Non Franciscus Robortellus, qui cum infandis doctissimos viros modis excepit, tum praestans Sigonii ingenium singularemque doctrinam, si qua fieri ratione poterat, parvi esse faciendam curavit. Non Nicolaus Villanus, qui Dantem, Petrarcam, Areostum, Tassum, quorum nominibus totus Parnassi chorus assurgere videbatur, alios ut hebetes, tardos, ac rudes; alios ut humiles, inornatos, et abjectos; alios ut venustatis ac leporis expertes vituperavit. Non Alexander Tassonus, qui Homeri, cui tantus honos est habitus, ut Smyrnaei delubrum ejus in oppido dedicaverint, quingentas ab se collectas sententias dignas esse, quae cum risu et cachinnis exciperentur, fastidiose ac stulte praedicavit. Itaque quum sapientum virorum no-

men ac decus posterorum memoria vivat sempiterna; eoque illustrius profecto vivat, quo magis Censores fremunt ac debacchantur; quid causae esse putemus, Auditores, cur docti sibi metuant homines, eosque acri insectentur odio, quorum conatu irrito tantorum Scriptorum laudem non modo nulla imminutam ex parte, sed etiam auctam et amplificatam et majori in lumine positam intuentur? Et sane quot summo ingenio praediti summaque fulgentes doctrina viri tenebris adhuc obruti jacerent, nisi eos rigida Criticorum virga excitasset, ac latitantem in eorum scriptis lucem ad omnium tandem oculos propagasset? In tanta enim librorum copia et varietate, quantam quotidie magis succrescentem videmus, quinam tam longe lateque disseminantur, quam ii, quibus atrox Critici bellum indixerunt? Isti et comparari avidius, et libentius legi, et attentius expendi, et majori passim gratia foveri; praesertim si accusatoris vel potentia, vel odio, vel ambitione id agi videatur, ut patronorum praesidio spolientur, et qua veris, qua falsis criminibus opprimantur. Quaenam igitur a Criticis exhiberi molestia tanta potest, quam non ipsorum Osores velint et ferre et perpeti, ut contemptum fugiant, et optatissimam gloriae lucem intueantur?

At adeo severa sunt, inquiunt, Criticorum judicia, ut, si quid non perfectum ingenio, non elabora-

tum industria attuleris, nulla tibi fortunati spes exitus relinquatur.

Bene habet, Auditores. Jam illud tandem accipimus, quo veram detegamus causam, cur isti homines maxime discrucientur. Dolent nempe ac vehementer anguntur, quod contentionum suarum mercedem jucundissimam flagitantes ad censoriam repente sedem adducantur, illisque sistantur judicibus, qui nec gratia commoti, nec meritorum fama perculsi, nec ingenii imbecillitati parcentes rem omnem aliter agunt, ac ipsi vellent et postularent. Quid ego hujusmodi reponam hominibus, Auditores, qui judiciorum illorum, quibus rei litterariae salus ac dignitas continetur, severitatem aversantur; propterea quod sua ipsorum conscientia convicti a castis illis integrisque judicibus nonnisi acerbam ac tristem praestolari sententiam possint? Valeant isti; et, si quod forte in re tam perdita a me consilium exquirunt, contineant sese tandem, et lucubrationes illas suas, quibus res litteraria carere sine ullo detrimento potest, tuta privatorum parietum custodia tueantur, et in lucem conspectumque hominum nihil tale expetentium nullo prodire modo permittant. Si enim aliter inconsulte fiat, quid est, cur acerbo animo ferant, ea non latere vitia, quae sua ipsi sponte omnium oculis subjecerunt? Quae quidem de ineptis quorumdam hominum scriptis a me dicta esse intelligantur. Ad eruditos autem ac vere sapien-

tes viros quod attinet, qui se aliqua in re et praeclara et utili exercuerunt; quae tanta animadversionis severitas esse potest, quam non aequo accipiant animo, et quemadmodum publicis litterarum commodis, ita privatis studiorum suorum rationibus utilissimam arbitrentur? Scilicet omnes erroribus obnoxii sumus, ac tanta est cum in judiciis nostris infirmitas, tum in rebus ipsis obscuritas, ut is demum haberi doctissimus debeat, qui peccare minime omnium deprehendatur. Errorem vero omni animi contentione insectari, cum omnibus gratum, tum iis maxime esse debet, in quorum scriptis lucubrationibus delitescat. Quid enim litterati isti quaerunt, quum ea, quae privatim ipsi conscripserint, publicam in lucem proferunt, nisi ut error, ad eos quod attinet, profligetur? Itaque si quis est, qui hunc laborem suscipiat, quo errores illos, qui nostros fallere oculos potuerunt, sedula pervestigatione disquirat; is non injuriam sane, sed beneficium inferre est jure ac merito existimandus.

At, quod Critici faciunt, gratificandi studio non faciunt.

Quid, quaeso, attinet quaerere, quo aliquid animo tribuatur, quum certum exploratumque sit, maximam, quod tribuitur, afferre nobis utilitatem solere? Jam vero Critici, qua erroribus detegendis, qua saluberrimis legibus proponendis, qua certis tutisque semitis commonstrandis, meliori nobis ratione prosunt,

quam amici, qui raro illa, quae grata non accidant, proferre et loqui consueverunt. Quare quo tandem cumque animo res maxime nobis frugifera objiciatur, eam perinde accipere alacres debemus, atque olim Pheraeus Jason, quum inimicorum gladius teterrimum illi vulnus aperuit, quod numquam sanare amico medentes animo potuerunt.

At Critici saepe falsum ac verum, rectum ac pravum sine ullo discrimine insectantur.

Hic sese jactant Criticorum Osores, et crimen, quod ad aliquos tantum pertinere possit, in omnes jure quidem minime novo, numquam tamen ferendo conjiciunt. Equidem novi, Auditores, sapientes quoque homines errare, neque Criticos ipsos omnibus carere vitiis, licet haec in aliorum scriptis reprehendere aggrediantur. Verum si, quae reprehendenda non sunt, ea vel propter rerum ignorationem, vel propter animi perversitatem corrigenda suscipiant, illud profecto efficiunt, ut hujusmodi nobis vulnus inferant, quod acerbiorem ipsis dolorem inurere animadvertamus. Quid autem magis optandum litteratis contingere hominibus potest, quam ut adversarios victoria elatos convincere erroris queant, et virorum sapientum judicio ipsis praestantiores Criticis existimari? Sic enim usuvenire videmus, Auditores. Critici de nobis judicant; at de Criticis interea judicat litteraria respublica universa, quae nullo vel partium studio, vel amore, vel odio

abrepta unicuique jus tribuere suum integre incorrupteque solet; cujus judicium si nobis faveat, Criticos vicimus; sin autem adversetur, licet molesti nobis Critici non fuissent, tamen perculsi et abjecti concidissemus. Quae quum ita sint, praeclara litterariae reipublicae judicia, omni qua fieri ratione potest, assiduis devincire nobis laboribus et contentionibus enitamur, neque Criticorum tela, quae nullum nobis, nisi aut salutare, aut gloriosum vulnus infligunt, reformidemus.

Quare quum nihil litterariae rei, nihil litteratis viris accidere utilius possit, quam ut Critici reperiantur, qui aliorum scripta cognoscant, et, quid quisque peccarit, deprehendant et corrigant; eritne quisquam vestrum, Auditores, qui odio tam salutares homines prosequatur, ac non eos potius omni fovere studio ac benevolentia complecti velit? Quid? Illumne hominem, qui agellum nostrum sentibus dumisque obsitum omni purgandum industria curet, diligemus; non illum, qui hortulos istos, quibus nihil est nobis carius, jucundius nihil, evulsis vel perniciosis, vel inutilibus herbis, tamquam navus agricola, colendos sumat, benevole amplectemur? Non ita se gesserunt profecto praestantissimi quique Scriptores, qui hanc maxime utilem ac frugiferam Criticorum industriam sibi magnopere optabilem ac salutarem esse censuerunt. Non ita C. Plinius, qui quum laudationem Trajano Augusto dictam Voconio misisset, nihil ei commendavit potius, quam ut ea diligenter a-

nimadverteret, quae corrigenda esse arbitraretur. *Ita enim*, inquit, *magis credam, caetera tibi placere, si quaedam displicuisse cognovero*. Non ita Cicero, cujus illae praeclarissimae voces, *opto redargui me: tantum abest, ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus*, ab omnibus usurpari Scriptoribus non voce tantum, sed etiam re animoque deberent. Non ita sapientissimus idemque sanctissimus Augustinus, qui cum aliis in locis, tum praecipue ad Marcellinum testatur, sibi molestos semper fuisse, non eos, quorum ipse doctrina ac judicio reprehenderetur; sed eos, quorum nimia benevolentia talis, qui nusquam errasset, praedicaretur. Quae enim isthaec dementia est, quemquam velle talem videri, qualis nec sit, nec esse possit; et, quum multa peccet, dolere atque angi, si, qui non detecti errores alios etiam in fraudem impellunt, sedulo animadvertantur? Tantine inanem istam gloriae cupiditatem faciendam putemus, ut moerore conficiamur, si gravis Censor existat, qui nostro se lateri adjungens luce nos doctrinae adjuvet suae, haerentes promoveat, dormientes excitet, errantes increpet, labantes excipiat, lapsos erigat, et ad veritatis pervenire arcem cupientes connixis ad eam viribus tandem deducat? Hunc porro hominem tam opportuna in nos officia conferentem odisse velimus? Hunc non diligendum, non amanter excipiendum putemus? Conticescant igitur aliquando inanes querelae, sedentur jurgia, con-

cidant irae, extinguantur odia, et pax illa tandem efflorescat, qua Criticos inter eorumque Osores composita suavissimi fructus illi percipientur, quibus et litterariae rei et litteratorum virorum dignitas non conservetur modo, verum etiam quotidie magis amplificetur. Dixi.

DE INVIDIA I.

ORATIO VII.

Quod jamdiu boni omnes liberalium disciplinarum cultores exoptaverunt, ut acerbissimum teterrimumque bellum in litteraria republica a turbulentis quibusdam hominibus excitatum, et partim ab Eruditorum fastu et arrogantia, partim a Criticis et Criticorum Osoribus ad haec usque tempora continuatum atque productum mutuis aliquando dissidentium officiis componeretur, animique omnium a diuturna cura ac molestia liberati ad pacis concordiaeque studia converterentur; hoc summa cum doctrinarum pernicie ac litteratorum dedecore se demum consequutos esse nullo umquam potuerunt tempore gratulari. Regnat enim quocumque incidant oculi funestissima illa litterarum labes atque implacabilis virtutis hostis Invidia; atque ita regnat, ut, qua singulari malignitate atque audacia pollet, omnia miscere funditus et convellere aggrediatur. Videt propterea, atque indignanti similis videt studiorum

praeses Minerva flagrantes discordia scholas, ardentes concertationum incendiis academias, actos rei litterariae principes reos, vexatam virtutem, irrisam industriam, eam denique in omni ferme genere deformatam rempublicam, quam optimis ipsa legibus et institutis florentissimam collocarat. Interea nostrae quotidie personant aures vocibus illis et querelis, quas ab omni Litteratorum ordine profligata Invidiae temeritas elicere non veretur. Dolent litterariae palaestrae duces, illos ingenii foetus, quos tantis laboribus, sibi quidem charos ac jucundos, aliis autem utiles ac frugiferos, pepererunt, crudelissimis ejusdem morsibus lacerari. Dolent ingeniosi juvenes, qui ad sapientiae arcem contendere enitentes tanto acerbiore obtrectatione et convicio ab invidis exanimantur, quanto suaviore plausu ab ingenuis viris ac benevolis excitantur. Dolent adolescentes ipsi atque pueri, qui Invidiam veluti importunissimam belluam sibi ante oculos obversantem assidue cernunt, ejusque vultu atque minis a recto virtutis et gloriae tramite deterrentur. Quae quum ita sint, Auditores, illud providendum est maxime, ut hanc in litteraria republica superbissime dominantem furiam coerceatis, atque auctoritate vestra ab injusta sibi temere vindicati regni possessione exturbetis. Hoc ut praestare facile meritoque possitis, prodeat hodierna die ante conspectum vestrum Invidia a me acriter de nefariis criminibus postulanda, et reo-

rum habitum praeseferens vestra de se judicia gravissima praestoletur. Spectaculum sane triste ac luctuosum hodie nobis occurrit, Auditores: hoc tamen hujusmodi esse censeo, quod Juventutis animos, cujus instituendae gratia exhibetur, non modo utilitate juvet, verum etiam jucunditate perfundat. Quamobrem adeste animis, ac, si vos Invidiae improbitas ac nequitia commovebit, facite, quaeso, ut ex omnibus imperii litterarii finibus ejecta debitum aliquando tranquillitati concordiaeque locum relinquat.

Et quoniam unaquaque in re primum, quid sit, deinde quid ipsam consequitur, quaeri solet, Auditores; in Invidiae prius naturam, mox in ejusdem mores esse mihi ex hoc loco inquirendum intelligo, ut rem plane, quae in judicium venit, complecti mente et cogitatione possitis. Si enim Invidiae naturam sedulo expendatis, nihil ista foedius; si mores, nihil istis perniciosius reperiri posse constituetis, atque utrisque cognitis ac perspectis, quid de Invidia ipsa sentiri demum ac decerni debeat, vobiscum animo reputabitis.

Atque ut illud, quod primum posui, videamus, Invidiam esse aegritudinem susceptam propter alterius res secundas, quae nihil invidenti noceant, sapientissimi quique viri cum Tullio constituerunt. Quemadmodum enim, inquit ipse Tullius, misericordia aegritudo est ex alterius rebus adversis; sic Invidia aegri-

tudo est ex alterius rebus secundis, quam propterea a nimis intuendo alienam fortunam hac voce veteres appellaverunt. Hoc veluti jacto accusationis fundamento, illud me consequuturum confido, ut nihil Invidia foedius excogitari posse arbitremini.

Quod ut facile intelligatis, sinite me, Auditores, hoc loco Invidiam ipsam paullisper et graviter compellare. Quid doles, infelix? quid moeres? quid tantopere excruciaris? Egone, prudens olim Poeta ajebat, *quod aliena capella gerat distentius uber, tabescam?* Tu vero, monstrorum omnium foedissima, tabescasne, quod aliena doctrina summis in caelum laudibus efferatur, quod litteraria alieno labore respublica floreat ac juvetur, quod aliena studia gratia et favor hominum undique prosequatur? Tabescasne, quod ille Doctor, vel Philosophus, vel Jurisperitus, vel Theologus tanta frequentia atque utilitate doceat, ut summa passim scientia praeditus habeatur? Tabescasne, quod Orator ille in palaestram prodeat, et, eo recitante, maxima hominum copia non sine animorum permotione haereat ac delectetur? Quid causae est, cur vel in alieno bono tam mala, vel in aliena felicitate tam misera esse velis? An times, ne in tuam aliena bona perniciem ab iis, quos non rectis circumspectas oculis, convertantur? Si hoc esset, nae tu indolem illam foedissimam naturamque tuam commutasses, nec jam amplius Invidiae, sed timoris nomine

compellareris. Atqui tuum est, non opinione impendentis mali timere, sed alienis in bonis, quae nihil tibi detrimenti afferant, aegrescere ac moerere: tuum in amicorum, in parentum, in benevolorum hominum felicitate tristari: tuum in optimorum virorum dignitate, ex qua etiam non exiguam aliquando utilitatem capis, liventi animo perturbari. Itaque non te timor ullus exstimulat et excruciat. Quid ergo est, iterum rogo, cur alienis in bonis misere contabescas? An putas, homines illos, quos vel in laude positos, vel ad honorum gradus evectos intueris, indignos esse, qui hujusmodi virtutis, vel doctrinae praemiis cohonestentur? Si ita se res haberet, isthaec aegritudo tua non ex te sane, sed ex indignatione prodiret. Atqui te dolor interimit ille quidem susceptus, non ex felicitate alterius, qui hac indignus existimetur, sed ex bonis alterius, quem praeclaris illustrem meritis animadvertas. Fac enim invisi a te hominis scripta sedulo expendantur. Ut turbatis ac pallidis omnia oculis intueris! ut sagacissimis omnia naribus odoraris, sperans, te demum aliquid inventuram, quo ipsum a sibi comparata nominis existimatione deturbes! Quod si fiat, ut erratum ab ipso aliquid esse deprehendas, ut laetaris! ut gaudes! ut numquam antea perceptae laetitiae voluptate oblectaris! Si vero, contra quam cupiebas, eveniat, ut errorem frustra perquiras, atque ita opus ingenio perfectum, elaboratum industria in-

venias, ut omnis tua alienae famae labefactandae spes evanescat, taces illico ac palles, ac tristi te silentio tradens haud dubiis illud significationibus ostendis, te alienis tantummodo meritis discruciari. Itaque si iterum ac tertio rogem, quid tandem causae sit, cur tantopere in alterius secundis rebus te ipsam torqueas, mihi roganti dicas necesse est: Ego vehementer angor ac doleo, quod virtutem exsecror, quod doctrinam odi, quod meritorum aeque ac praemiorum sic infensa hostis esse debeam, ut nulla umquam placari ratione possim.

Bene habet, Auditores. Jam illam denique ex Invidia vocem elicuimus, ex qua illud conficere nobis liceat, nullam ab ipsa aegritudinis suae proferri causam, nisi eam, quae ab insita naturae suae nequitia proficiscatur. Quid vultis amplius? Jam illud quoque habemus, ex quo jure ac merito colligamus, nihil ipsa Invidia foedius reperiri. Quamquam enim, Auditores, foeda sunt caetera vitiorum genera existimanda; tamen, quemadmodum Orator ille sanctissimus idemque sapientissimus animadvertit, qui ab aurea dicendi vi copiaque nomen accepit, ita quidem foeda sunt habenda, ut non omni penitus defensionis modo destituantur. Foeda est ambitio, foedum furtum, foeda libido; sed, qui hujusmodi laborant vitiis, aliquid habent, quo se defendere tuerique conentur. Nam se a voluptate ductum libidinosus dicet, ab egestate raptor,

ambitiosus ab honore, quem sibi in virtutis sive testimonium, sive praemium delatum esse arbitretur. Vanae profecto istae sunt, nulliusque ponderis excusationes; sed tamen hujusmodi, quae ab aliqua utilitatis specie proficiscantur. Una, una est Invidia, Auditores, quae si ulla se defendere ac tueri ratione velit, nihil, praeter infandam nequitiam suam, proferre in lucem possit. Etenim non modo nullam a nequitia sua, licet inanem ac falsam, utilitatem percipit; sed hoc etiam ab ipsa detrimenti accipit, ut expetendam mentis tranquillitatem, quam nulla cogitatio tristis exagitet; ut suavissimum somnum, quem nulla cura perturbet; ut jucundissimam mensam, quam animi inusitata quaedam suavitas condiat, quamvis nullo provocata scelere, nullis lacessita injuriis, ac ne verbo quidem violata, ultro ac volens amittat. Quod sane tam foedum est, tam deforme, tam turpe, ut, qui se libidinosos, qui avaros, qui ambitiosos, qui iracundos, qui etiam crudeles confiterentur, atque adeo etiam praeseferrent, inventi sint: contra, qui invidum fateri se velit, nemo reperiatur.

Itaque nemini mirum videri debet, Auditores, si illi ipsi, qui vel maxime hoc vitio laborant, non se invidos profitentur; sed aemulos eorum, qui vel virtute, vel doctrina praestantes caeteris hominibus antecellunt. Qua quidem in re Aemulationis specie atque obtentu Invidiae, qua ipsi flagrant, nequitiam tegere enitun-

tur. Sed, quam longe haec ab illa recedat, breviter videamus, quo clarius Invidiae deformitas innotescat Aemulatio, inquit Tullius, est, imitatio virtutis, ac desiderium boni, quo eareas, et quo eminere alterum intuearis: Invidia est aegritudo ex bono, quod in altero animadvertas. Illa minime angitur, quod alter sit felix, sed felicitatem sibi et ipsa vellet comparare: Haec maxime dolet, quod alter sit felix, et unum hoc exoptat, ut qua ille fruitur, felicitate privetur. Illa vellet virtutem doctrinamque suam clariorem excolendo reddere et augere: Haec vellet alienam virtutem atque doctrinam, qua fieri ratione possit, labefactare. Illa gaudet, si aliena virtus debita consequatur praemia, et a spe mercedis hujusmodi obtinendae ad virtutem ipsam impellitur: Haec moeret, si aliena merita honoribus decorentur, nec ad similem sibi gloriam simili comparandam merito excitatur. Illam elegantissimus virtutum chorus comitatur, diligentia, industria, vigilantia, patientia, eruditio, omnes in eam intentae curam, ut parentem optime de se meritam studio, favore, gratia, suffragatione colant atque admirentur: Hanc foedissima vitiorum soboles circumstat, arrogantia, malevolentia, obtrectatio, irrisio, calumnia, perfidia, quae scelestissimae suae satellites ac ministrae omni eam scelere inquinatam esse declarant. Illam recreat ac reficit splendidus ille scientiae doctrinaeque thesaurus, quem, hominibus ingenio praestantibus ad

egregia quaeque incitatis, fideli librorum custodiae studiosissime commendatum in bibliothecis, in lyceis, in academiis ad universae litterariae rei ornamentum et commodum collocavit: Hanc exanimat et interimit miserrima supellex sua, qua diligenter recognita et expensa nihil, nisi libellos omni contumeliarum refertos genere, deprehendit, qui e latebris, quibus maxime gaudent, in hanc splendidissimam educti lucem artificem suam tanto acrius excruciant, quanto ipsa acerbiorem dolorem hominibus honestissimis inurendum curavit. Illa denique alacris et erecta patronos sibi et amicos numquam defuturos esse gratulatur, qui se tot tantisque meritis cumulatam non ament, non diligant, non omni colendam esse studio putent: Haec moesta, profligata, et afflicta, quocumque convertat oculos, in tanta litteratorum hominum frequentia neminem videt, qui se nefariis criminibus flagitiisque pressam non oderit, non exsecretur, non omni supplicio dignissimam arbitretur. Quum itaque Invidia longissime ab Aemulatione recedat, et quantum nos isthaec pulchritudine alliciat sua, tantum illa nos terreat deformitate; quid aliud invidi praestant homines, Auditores, qui sese Aemulationis obtentu stulte non minus, quam nefarie tegere conantur, nisi ut unanimi suffragiorum consensu denique censeamus, quemadmodum nihil Aemulatione pulchrius; ita, contrariorum enim contraria sunt consequentia, nihil Invidia foedius in litterato homine reperiri?

Agite vero, Auditores, at que illud quoque ipsos praestare jam videamus, ad Invidiae mores quod attinet, nihil ut ea perniciosius esse arbitremur. Quemadmodum enim Aemulationis species, quam ipsi nobis obtulerunt, suavissimos, quos parit, fructus jucunda nobis recordatione proposuit; ita Invidiae mores, quos arguendos aggredior, detrimenta, quae ab ipsa misere proficiscuntur, perpendenda statim nobis exhibebunt.

Ac mihi quidem in Invidiae mores intuenti, ex eaque profecta damna consideranti videre protinus videor crudelis cujusdam belluae speciem, quae nobis ante oculos obversetur. Quid enim, Auditores? An humanae sunt, non ferinae, illae voces, quibus Invidia dies noctesque crocitante corvo molestior nostris obstrepere laudibus numquam desinit? Humana illa convicia, quorum aculeis rabidorum canum morsu acerbioribus assidue nos pungit? Humanae illae Satyrae, quarum veneno draconum felle magis lethifero acerbissimis suspicionibus atque odiis omnia perturbat? Humanae denique blanditiae illae et obsequia, quibus pellace vulpe callidior ad nos salutandi causa quotidie venit, nobis se totam dedit, manu prensat, arridet, osculatur, et quod indicium est maximum amicitiae, idem semper, quod nos ipsi, se quoque velle, aut nolle simulat, ut eo gravius, quo minus praevisum et expectatum malum nobis inurat?

Verum ne nimis accusatorie cum Invidia ager

videar, et ne se circumveniri a me conqueratur, totam hanc causam ad rationem et naturae ipsius judicium diligenter ac sedulo exquiramus. Quid igitur est, Auditores, aut esse potest tam ferinum, quam illud, qualecumque denique sit, quod virtutem illam subvertit, quae, quia propria hominis est, humanitas appellatur? Ad hanc enim rerum omnium parens ac domina ita nos instituit et finxit, ut, quum caeteras animantes suis quasque armis instruxerit, quibus contra metum se defendere tuerique possent, uni homini instrumenta omnia ad inimicitiam et vim composita denegaret; quae vero ad amicitiam atque concordiam ma ime idonea forent, large copioseque donaret. Itaque huic non trucem horridamque speciem, ut belluis, dedit, sed blandam et liberalem: huic oculos non minaces, sed placidos et amicos: huic vocis sonum non terrificum, sed gratum et lenem: huic denique eam linguam, qua ad hominum salutem; ea brachia, quibus ad amplexum; ea labra, quibus ad osculum convolaret. Hinc uni homini risum attribuit, alacritatis indicium; uni lacrymas, misericordiae clementiaeque signum; uni dominam illam et reginam rationem, quae a mutis belluis longissimo ipsum intervallo secernens acribus quibusdam vocibus assidue monet, ut nihil, quod ferinum sit et inhumanum, agere umquam aggrediatur. Atqui Invidia, Auditores, hoc tam admirandum naturae opus afflatu suo corrumpens illa homi-

nem privat humanitate, ad quam nos rerum omnium molitor effectorque parens consilio sane provido ac suavissimo comparavit.

Hoc ut uno veluti aspectu intueamini, ponite vobis ante oculos hominem Invidia correptum, ac livore turpiter tabescentem. Ille enim vultus jam tetrior, ille vocis sonus jam asperior, illa jam contracta frons, illae torridae macie genae, illae aduncae nares, illa veneno suffusa lingua, illa denique in risu ipso et in lacrymis, quibus ad humanitatis indicium nihil illustrius, crudelitas tanta, ut, quod vix credibile videatur, risum aliena calamitas, lacrymas aliena felicitas moveat; quid aliud, quaeso, nisi tristem, horridam, ac minacem immanissimae belluae speciem praeseferunt? Et sane immanium belluarum more in litterarium campum ingressa Invidia, quidquid occurrat sibi, terrore miscet ac tumultu, et hac illac se jactans luctuosum ubique crudelitatis suae monumentum relinquit. Quemadmodum enim ferae nec opinantes aggrediuntur; ita ipsa laetis aliorum successibus irritata in quoscumque obvios invadit, atque alios dentibus carpere, alios scalpere unguibus, alios afflatu polluere, alios alio ferino modo vexare, aut perdere non perhorrescit.

Quod igitur in homine bonum eximium ac praestans eminet, quod hanc sibi undique occurrentem belluam possit effugere? Non virtus, quae quamquam una, ut inquit Tullius, altissimis defixa radicibus nul-

la umquam vi labefactari potest; eam tamen obruere tenebris omni ope ac studio conatur. Non doctrina, quae licet praedonis cujusque vel rapacissimi manus contemnere jure queat; eam tamen ad caeteras suas funestissimas clades adjungere assidue curat. Non virtutis praemia atque doctrinae, quae, si arbitrio ipsius potestatique cedant, vel meritis delata hominibus auferuntur, vel numquam delata in immeritos conferuntur. Non illa, quae propria vita hominis est in laude ac nominis existimatione posita, quam nobis ipsi laudabilibus curis et contentionibus comparamus, quam nostra virtute alimus, quam meritorum propagatione extendimus, quam non amittimus morbo, at sempiterna posterorum memoria, morte quoque obita, retinemus. Haec siquidem Invidiae cura est vel maxima, ut pulcherrimam hanc nobis vitam eripiat, quam innumerabiles pene viri sibi ipsa emendam morte existimarunt. Saevit enim passim bonorum omnium hostis haec infestissima, et obvios omnes, quos fama ac nominis existimatio commendat, impune vexat ac mordet. Oh te miserum atque infelicem, si, quae humani ingenii infirmitas est, tale quiddam excidat umquam tibi, quod possit jure reprehendi! Nullus Invidiae sermo, nisi de te: nullus civis, advena, incola, peregrinus, cui carmen illud audiendum non sit, quod Invidia conjunctis omnium thrasonum viribus contra te compararit. Quod si tibi nihil uspiam exciderit, quod reprehensione di-

gnum videatur, continuo falsa confingit, tua scripta polluit ac foedat, sententias tuas vel addendo, vel demendo, vel mutando, vel interpolando corrumpit; corruptas autem sibi et aliis amare ac salse deridendas proponit: libellos etiam, te indignitatem rei nesciente, tuo inscriptos nomine in lucem edit, ut, perinde ac ab ingenio tuo prodierint, in te acre potentissimorum hominum odium excitent atque convertant.

Sed quid ego singula persequor, Auditores? Quasi vero jucundissimam illam lucem, quae communis est etiam belluis, intactam prorsus, atque a scelere suo flagitioque immunem nobis relinquat? Quis enim in re litteraria tam hospes ac peregrinus versatur, qui numquam aut legerit, aut audiverit atrocissima bella ab Invidia passim excitata, quae eo denique reciderunt, ut praestantissimi viri, qua patria, qua libertate privati, aut luctu, aut squallore carceris conficerentur? Quis ignorat, quanta ferocia et vastitate haec furiarum omnium perniciosissima umbratiles pugnas in vera certamina, litterarias palaestras in gladiatorias, contentionem gloriae in exitium capitis olim convertit? Quis nescit, nullum esse hominis occidendi modum, quo non ipsa aliquot occiderit, et satyrarum acerbitate minime contentam, qua alios ad insaniam, alios ad suspendium adegit, suas etiam foedissimas manus humano sanguine respersisse, et quos aemulos verborum

spiculis satis acriter sauciare non potuit, eos aut ferro, aut veneno crudeliter sustulisse?

Quid hic, Auditores, dicet Invidia? An me aestu quodam abreptum prolata modo crimina confinxisse? Atqui adsunt gravissimi suorum criminum testes, qui facta plurima et maxime insignia atque ad rem propositam accommodata in medium proferre gestiunt. Adsunt Apostolius et Nicanor, Benius et Salmasius, Sabinus et Cardanus a Bernero commemorati, qui se ad ferinos illos, quos antea descripsi, mores ab Invidia traductos esse declarant. Adsunt Tassonius ac Verderius, Crassus ac Valla, Simon et Vossius, qui Spizelio teste, quum Invidia ducti neminem aliqua excellentem laude ferre ulla ratione possent, praestantissimi cujusque viri vel virtutem, vel doctrinam infandis labefactare modis enitebantur. Adsunt Stubertus ac Majoragius, Gronovius ac Ciampolus, Siberus ac Decimator, caeterique a Menckenio repetundarum postulati, quorum alii in Muretum et Sigonium, alii in Fellerum et Erasmum, alii in Horatium et Petrarcam, quos lyricorum carminum veluti patres ac duces Musae ipsae exceperunt, alii in alios egregios Scriptores lethifera, ut eorum aliqui ajebant, se habere spicula gloriabantur. Quamquam quid ego istis testibus utor, quasi dubia, vel obscura in re versaremur? Te, te, inquam, Invidia, accusant Miltiades et Alcibiades, Conon ac Timotheus, Chabrias et Esulius, Chares ac

Themistocles, quos vel debito sibi praemio, vel patria, vel libertate privatos squallore ac luctu misere confecisti. Te Apelles ac Socrates, quorum alterum de falso conjurationis crimine insimulasti, alterum damnatum capitis eo insanae desperationis compulisti, ut veneno epoto interiret. Te Poggius ac Robortellus, quorum alterum in lectissimo doctissimorum hominum consessu turpi colapho castigare, alterum educto repente gladio aggredi non dubitasti. Atque ut eruditos illos taceam a Themistio apud Menckenium commemoratos, quorum alios febri corripuisti, alios verberibus affecisti, alios lethali vulnere confodisti, crudelitatem exsecrantur tuam Theopompus ac Diosippus, quorum alter propter libellos quosdam a te confictos ac suo inscriptos nomine incredibili Graeciae totius odio conflagravit; alter vero, ut iniquissimas tandem a te paratas effugere insidias posset, propria sibi manu mortem consciscere non recusavit. Quare videte, Auditores, an a me in Invidiam conjecta crimina conficta esse videantur.

Jam vero quis cogitatione complecti, quis oratione assequi damna possit, quae in universam litterariam rempublicam a perversis Invidiae moribus proficiscuntur? Haec dicunt academiae, quae vel multis jamdiu vexatae dissidiis a pristina gloria ac dignitate recedunt, vel suis vacuae cultoribus omnino concidunt ac penitus extinguuntur. Dicunt bibliothecae, quae novis quo-

tidie referciuntur libris, in quibus nescio, an magis maledictis et contumeliis, quam erroribus et mendaciis oppugnata ab Invidis veritas profligetur. Dicunt cathedrae et gymnasia, quae doctoribus illis saepenumero destituuntur, qui licet Juventuti instituendae inservire maxime possent; tamen docendi provinciam vel suscipere reformidant, vel susceptam deponunt, ea sola ducti ratione, qua eamdem doctissimus Parrhasius posuit, ne acrioribus in dies Invidiae armis opprimeretur. Hoc enim usu ipso venire experimur, ut quemadmodum Santippus ille Magnus victis prostratisque Romanis, ut sese Invidiae telis eriperet, sibi esse Carthaginem relinquendam putavit; sic multi in re litteraria praestantes viri alieno edocti periculo publicam refugiunt lucem, ac se privatis laribus continentes famae suae ac nominis existimationi consulere meditantur. Interea evanescunt illae studiorum comites ac sociae, quae rei litterariae gloriam dignitatemque tuentur: languet industria, cessat diligentia, refrigescit labor, atque illud litterarum ornamentum pulcherrimum Aemulatio nullius auctoritatem loci contingere usquam audet, suique animi sensa ad commune bonum accommodata proferre negat, quibus illud suum bene de omnibus merendi studium voluntatemque publice ostendat.

Quae quum ita sint, Auditores, statuite jam quid de Invidia sentire, ac demum decernere debeatis. Ego infandam ejus naturam, qua nihil foedius, corruptos

mores, quibus nihil perniciosius, ante conspectum vestrum gravissimum insimulavi, ut illam ex omnibus imperii litterarii finibus exterminandam esse judicaretis. Hoc vos orant litterae honestissimae, quae multis jamdiu vexatae dissidiis ad sapientiam vestram confugiunt, ut hostem suam infensissimam coerceatis, cujus eo demum conatus referri intelligunt, ut claudantur lycea, evertantur cathedrae, obruantur academiae, eripiantur bibliothecae, putrescant libri, magistri taceant, doctrinaeque omnes ad caeteras suas funestissimas clades adjungantur. Hoc orat litterarum altrix Aemulatio, quae multis exercita curis ad vos se recipit, tamquam ad communis dignitatis vindices ac patronos; et quoniam post diuturnum moerorem ac luctum fieri quaedam ad meliorem spem inclinatio videtur, a vobis efflagitat, ut eam evanescere non patiamini, omnia vos facile ornamenta, et commoda consequuturos confidens, si, depulsa Invidia et ejecta, se ultro suam vobis operam despondentem restitui in pristinae tranquillitatis jura velitis. Hoc orat Firmana Pallas, quae vobis honestarum artium ac disciplinarum decus dignitatemque commendat, illudque petit, ut laeti atque alacres ad pacis et concordiae sinum denique advoletis, quae, Invidia abeunte, ad vos redire, in omnesque litterarias provincias iterum inferre pedem exoptat. Utinam, Auditores, illud consequi respublica litteraria posset, ut, Invidia penitus extincta,

una ubique concordia dominaretur! Quam suaves leges, ac litteris litteratisque hominibus utiles, ea regnante, promulgarentur! Quanta malorum vis ac tragoediarum seges illico disperderetur! Jam respirarent litteratorum animi a metu illo, qui ob Invidiae impudentiam in dies gliscit et invalescit. Jam exarescerent illae lacrymae, quas ejusdem quotidie acerbitas exprimit. Jam compositis sedatisque dissidiis illa ubique pax et tranquillitas vigeret, ex qua fructus uberrimi perciperentur. Invidi vero ipsi pulcherrima concordiae specie deliniti magno inter caeteros gaudio exilirent, ac turpi tamquam e veterno excitati se nobis praeberent socios, ut ad eamdem simul litterariae reipublicae utilitatem consentientes unum illum concentum efficerent, quo communi omnium gratulatione tranquille ac placide oblectarentur, et mutua benevolentia duce conjunctis tandem viribus doctrinarum decora et ornamenta omni promovere ope eniterentur. Hinc si in hominem inciderent ingenio atque otio abundantem, eum ad naviter rem gerendam excitarent: si in impigrum atque industrium, non eum obtrectando exanimarent: si in illustria molientem, nullo eum offendiculo retardarent: si in bene de litteris meritum, omni illum exornandum laude arbitrarentur. Itaque quum tanta ex animorum conjunctione in rem litterariam bona proficiscantur, abeat tandem infensa virtutum ac doctrinarum hostis Invidia, secumque educens calumniam ac

perfidiam, obtrectationes ac satyras, irrisionem ac fastum, illam in medium hodierna die prodire concordiam sinat, quae hominum mentes ad praestantissima quaeque impellens rem litterariam nullo non tempore luculentissimis opibus exornavit. Dixi.

DE INVIDIA II.

ORATIO VIII.

Quod olim sapientissimus ille Varro, quem Romanorum eruditissimum Quintilianus merito appellavit, argute dicere de mala conjuge consueverat, eam nempe vel tollendam esse, vel ferendam; id mihi de Invidia furiarum omnium molestissima iterum hodierna die verba facere incipienti usurpare liceat, Auditores, ut eam, si non tollimus, magno fortique animo superemus. Quamquam enim multa a me in Invidiam ipsam actione praeterita sint in medium prolata, ut pestem hanc teterrimam ex omnibus imperii litterarii finibus depellendam esse aequissimis sententiis vestris constitueretis; tamen hujusmodi est illius indoles atque natura, ut facilius litterae ipsae, quam haec perpetua litteratorum hominum labes, exterminari posse videantur. Nam, quum ad male agendum nulla ne falsae quidem ac simulatae utilitatis specie ducatur, ac solum ab insita sibi perversitate et nequitia, ut ostendimus,

impellatur; vix ulla fieri ratione potest, ut ad saniora tandem consilia nostris opibus traducatur. Quum enim nemo e vitio, quo laborat, aliquando emergat, seque ad bonam, ut aiunt, frugem recipiat, nisi denique malum se esse noverit; Invidus autem, qui nullo emolumenti obtentu tegitur, et sola animi pravitate ductus ad foeda quaeque descendit, non modo hanc non fateatur umquam, sed ne agnoscere quidem velit; illud profecto consequi necesse est, ut, ea qua pertinacia pollet, in eodem nequitiae tramite progrediatur. Quamobrem fere omnis evanescit spes illa sane jucundissima, quam de tollenda prorsus Invidia ante animo praecipiebamus, nec alia demum cogitatio nobis et cura relicta est, nisi ut, si omnino extinguere monstrum hoc infestissimum non possimus, efficiamus saltem, ne ab ipso nos ullo umquam tempore opprimamur. Date igitur hanc mihi veniam, Auditores, ut quemadmodum actione praeterita Invidiam illam, quae ad invidentem pertinet, accusandam suscepi; sic hodierna die Invidiam illam, quae ad invisum attinet, omni expendendam esse diligentia putem. Quum enim Tullius doceat, Invidiam non in eo, qui invidet, solum dici, sed etiam in eo, qui invidetur; non muneris mei ratio tantum, sed etiam adolescentum postulat utilitas, ut quemadmodum a me olim Invidia, quae in invidente dicitur, reorum habitu in judicium hoc gravissimum producta fuit, ut omni quo fieri modo posset compesceretur; i-

ta Invidia, quae in inviso dicitur in eamdem hodie arenam prodeat, ut aequiore animo sustineatur. Itaque sic statuo, Auditores: Invidiam, qua de agimus, una esse tolerantia vincendam ac superandam. Quod si in animum quisque suum inducat, pulcherrima illa concordia ac tranquillitas efflorescet, quae, omni dissidio sublato, rem litterariam amplissimis semper opibus non exornavit modo, verum etiam in dies amplificavit.

Et quoniam semper appetentes gloriae atque avidi laudis fuistis, illud enixe curare debetis, Auditores, ne, quod necessario gloriam vel consequitur, vel comitatur, ferre vos ac sustinere umquam recusetis. Jam vero quid tam vel gloriam consequens, vel cum gloria conjunctum, quam Invidia, possit excogitari? Convertite oculos, quocumque libeat: intuemini curiam et forum, gymnasia et castra, bibliothecas et academias, loca denique omnia mente atque animo perlustrate. Si diligenter inspicere, si expendere omnia considerate velitis, hoc profecto reperietis, ut, ubicumque gloriae lumen ac splendor percellat oculos, ibidem Invidiae dolor et acerbitas misceat animos ac perturbet. Quamquam enim gloria et Invidia indole ac natura polleant quamdissimillima; ab uno tamen eodemque in lucem principio utramque gigni animadvertimus. Nam quum primum virtus adolescere incipit et augeri, geminam protinus uno partu, licet adeo

disparem, prolem edit; alteram, quae pudica et obsequens jucundissimum laetitiae munus exhibeat; alteram, quae tristis ac ferox acerbissimas molestiarum curas praeseferat. Est igitur, Auditores, misera quasi fati necessitate sic utraque conjuncta proles, ut facilius, pene dixerim, a corpore umbram, quam a gloria sejungere Invidiam possis. Haec cum illa nata cum illa alitur et nutritur, ab illius latere numquam discedit, suis interest consultationibus, sua cognoscit consilia, socia est in otio, comes in labore, adest in rebus prosperis, non deserit in adversis, pernoctat simul, peregrinatur, rusticatur. Frustra itaque gloria disjunctissimas olim terras peragravit, frustra immensos maris tractus transmisit, frustra sese ipsis antris ac speluncis abdidit, ut se infensissimae sororis telis eriperet, sibique optatum tranquillitatis fructum compararet. Haec enim ipsius perpetua comes incredibili provincias ac regna celeritate perlustrat, montes ac maria praetervolat, atque ita latebras omnes recessusque penetrat, ut nullus existat usquam tam abditus ac desertus in terris locus, quo, si gloria pervadat, non Invidia quoque subrepat. Viderunt hoc in primis graeci homines atque latini, qui summa, qua praeter caeteras gentes mentis acie pollebant, quum gloriam ab Invidia disjunctam esse non posse intelligerent, illud maxime providebant, ut, qui ab ipsis ad egregia praestanda facinora instituebantur, Invidiam forti constan-

tique animo contemnendam putarent, ne a suscepto laudis et honoris tramite retardarentur. Viderunt Socrates et Pythagoras, qui, quum inflammato ad sapientiam animo raperentur, sibique Invidiam occurrentem undique intuerentur, eo erant animo comparati, ut vitae aerumnas atque adeo mortem sibi alacri mente subeundam esse existimarent. Viderunt Cato et Pompejus, qui, licet potentissimorum hominum Invidiam sibi sustinendam esse probe recteque nossent, hanc tamen ita minime reformidarunt, ut pulchriorem in dies gloriam, quo acerbior in dies Invidia cresceret, sibi nanciscendam esse arbitrarentur. Atque ut caeteros omnes, quotquot umquam et nostra et patrum memoria virtute aliqua et laude floruerunt, taciti praetereamus, hoc vidit, quamvis adhuc adolescens, Themistocles ille, quem ad praeclara quaeque gerenda Miltiadis trophaea diu noctuque excitabant, qui adeo numquam speravit, se posse laudem et gloriam ab Invidia sepositam invenire, ut vel ex hoc maxime judicaverit, se nihildum hominum praedicatione, nihil gloria dignum egisse, quod recte intelligeret, sibi nondum ab ejusdem aetatis hominibus invideri. Quod si Invidia necessario gloriam vel consequitur, vel comitatur; quae ista consiliorum nostrorum perversitas est, Auditores, ut appetentes laudis et gloriae quum simus, ejus tamen certissimam indicem ac testem irato ac reluctanti animo excipiamus?

At homo sum, inquis, qui fremente circum ac latrante Invidia statim animo exardesco.

Homo es: video. At homines et ipsi erant Miltiades et Alcibiades: homines Timotheus et Conon: homines Esulius ac Themistocles; qui tamen, ut Horatii verbis utar, dum constricti fulgente gloriae curru traherentur, turbulentos Invidiae fluctus ac saevientes undique tempestates invicto animo superabant. Homo es: non ignoro. Sed neque illud nescio, te ad illa ferenda esse natum, quae ad humanam conditionem atque naturam pertinere a nobis animadvertuntur. Noli itaque illa, quae maxime propria hominis sunt, refutare. Quis in omni praeteritorum temporum memoria aut fuit umquam, aut esse potuit, qui se clarissimo in Sole existere sine umbra posse contenderet ac postularet? Tu hoc ferme postulas, quum illud sumere tibi velis, ut in praeclarissima gloriae semita percurrenda nullis Invidiae tenebris offundaris. Atqui non hoc sibi sumendum esse putarunt Manlii, non hoc Scipiones, non Quintii, non alii fere innumerabiles viri, qui licet vel teterrimas infensissimorum hostium copias fuderint, vel summam in periculis fortitudinem, in agendo industriam, in conficiendo celeritatem, in providendo consilium praesetulerint; Invidiam tamen nec effugere, neque illius retardare impetus valuerunt. Quod si Majores nostri non sine causa fictis fabulis prodiderunt, ne Herculi quidem, qui tot ac tanta immanium

ferarum monstra disjecit, concessum illud fuisse, u Invidiam vinceret ac profligaret; quidnam te agere demum, vel quid consilii capere oportebit? Quum levius, monente Horatio, patientia fit quidquid corrigere est nefas; nihil sane reliquum esse potest, nisi ut Invidiam ipsam aequo perferas animo, et contra furentes ejusdem impetus obdurescas.

At stupidi hominis est, allatis injuriis minime commoveri. Egone, si me Invidi usque allatrent, improbisque lacessant dictis, aut scriptis, quae per omnium ora circumferantur, trunco similis taceam, non manus conseram, non refutem crimina, vim vi denique non repellam?

Quid hoc, quaeso, stultius, Auditores, quid inconsideratius proferri possit? Non hic ego quaeram, quod possem jure quaerere, an hujusmodi voces, ut nihil dicam majus, hominem deceant, qui vere litteratus sit, atque adeo velit haberi? Quid enim aliud litterae tam nobis commendatum esse voluerunt, quam illud, quod cum constantia, cum gravitate, cum mansuetudine conjungatur, atque omnem ulciscendi cupiditatem quodammodo perhorrescat? Sed, ut causam propius attingam, quaero: Quid a ratione ipsa tam alienum fingi, aut excogitari queat, quam Invidiae expugnandae causa cum ipsa congredi atque obnitendo pugnare? Ne in bellis quidem ipsis teterrimis, in quibus, ut apud Tullium ingeniosus quidam Poeta ajebat,

non ratione ac jure, sed ferro atque armis ablatae res repetuntur, semper illud utile praestantissimi duces atque imperatores existimarunt, ut hostium vires oppositis viribus repellerentur. Quamquam enim interdum praestitit pugnantium populorum vim atque opes aggredi, aliquando tamen, qui experiri armis voluerunt, summas civitatibus calamitates rebusque publicis attulerunt. Hoc, ut praeteream caetera, C. Flaminii et Fabii Maximi exempla docent, quorum alter ea, qua praeditus erat, ferocia afflictis toties Romanae reipublicae rebus exitio fuit; alter vero, qua cunctatione sapiens ac prudens est usus, Romanam rem summa omnium gratulatione restituit. Atqui eadem nos uti arte debemus, Auditores, si rem nostram contra insanientem Invidiae impetum ac furorem salvam et incolumem esse exoptamus. Ea enim est Invidiae conditio ac natura, ut quamquam nos moleste provocet ac lacessat; ejusdem tamen vis et audacia frangatur, si pugnam mansuete et graviter detrectemus. Quum enim illo conatus dirigat suos, ut qua ratione possit alienam felicitatem tranquillitatemque convellat, numquam profecto se magis fractam ac perculsam jacere sentit, quam quum optatum laboris sui fructum evanescere animadvertit. Quamobrem ut ignis citius conquiescet, nisi nova ipsi pabula exhibeantur; ita Invidiae flamma, nisi nova illi alimenta dentur, sponte sua celerius defervescet. Obmutescent graculi, qui garritu livo-

ris plenissimo alienis obstrepere laudibus numquam desinunt, si ingratus hujusmodi sonus tranquillo pacatoque animo excipiatur. Tacebunt nugivendi, qui, quidquid suis inleverint chartis, ubique occentant; si totum id, quod scripserint, veluti in alienos conscriptum homines contemnatur. Coercebunt scribendi loquendique licentiam nebulones ac vappae, qui maledictis et contumeliis turpiter delectantur; si probra hujusmodi et convicia nullo adhibito responsionis genere despiciantur. Illi denique ipsi, quorum aures, nescio qua rerum perversitate, ab istis tam miseris ac miserandis cantibus aliqua videntur delectatione perfundi, vel fastidio ac satietate victi, vel rei indignitate commoti invidis omnibus sic obstrepentibus hominibus silentium tandem indicent. Quae quum ita sint, dubitabitur adhuc, si quis Invidiae repente sonus increpuerit, utrum prodire in aciem praestet, an intra castra se continere; de ulciscenda injuria cogitare, an pacate ac placide conquiescere; fremere, bacchari, ac rumpi, an tolerantia contemptuque illud efficere, quod Martialis olim canebat, ut *rumpatur quisquis rumpitur invidia?*

At magna est, inquis, obtrectatio, atque ita magna, ut ferri nullo modo posse videatur.

Esto. Quid tamen te consequuturum confidas, si repugnabis? Majorem obtrectationem subibis. In te enim, si cum Invidia congredi velis, tota Invidorum consurget

natio, et qua conviciis, qua probris, qua contumeliis et exquisitis omnibus maledicendi artibus tantum tibi negotium facesset, ut nullus evadendi locus relinquatur. Scit ille Janus Parrhasius, qui, quum ei invideretur, quod Mediolani tanta frequentia doceret, ut inter juvenes auditores ille ipse Gallicarum copiarum imperator Trivultius assideret, et summa, qua poterat, contentione curaret, ut ab se, quam Invidia accenderat, laborando flammam propulsaret, tantum sibi excitavit incendium, ut, quum numquam extingui amplius potuerit, Mediolano tandem abire, et confertissimam non discipulorum modo, sed etiam doctissimorum hominum multitudinem, qui summis ipsum laudibus prosequebantur, deserere sit coactus. Scit ille Carus, qui, quum Castelvetri impetus pugnando frangere vehementissime conaretur, illis se contentionibus ac simultatibus objecit, a quibus nonnisi tristes ac pertimescendi exitus profluxerunt. Scit ille Ulricus Huberus, qui liberioribus in Belgio verbis a Perizonio lacessitus, quum eum in jus vocasset, atque eo tandem adegisset, ut culpam deprecari, erroremque profiteri suum juberetur, majorem sibi Invidiam, licet victor, conflavit, et, qui unius tantum hominis latratum ferre non potuit, coepit omnium morsibus lacerari. Sciunt denique, ne singulos proferam, litterati illi omnes, qui, quum Invidiae profligandae spe ducti hujusmodi immiscere se certaminibus voluerunt, tot ac tantas sustinuerunt mo-

lestias, tantisque se periculis objecerunt, ut fateri tandem debuerint, quo ense aemulum se conficere posse arbitrabantur, eumdem sibi ipsos stultissime injecisse. Quid sibi igitur cerebrosi quidam homines volunt, qui contracta fronte, severo vultu, plenis minarum vocibus, ipso denique armati flagro in furiam istam late undique debacchantem invadunt? Nimirum non placare Invidiam, sed irritare; non accepta curare vulnera, sed nova appetere; non insanos sanare, sed cum iis misere insanire. Quid enim esse insanius queat, quam, ut levius effugias malum, aliud tibi longe gravius arcessere et comparare?

Quamquam qui potest appellari malum Invidia, aut, si malum dici velit, qui potest esse tam grave, ut a nobis perinde ac a tot prudentissimis viris forti constantique animo sustineri minime possit? Age enim: quidnam boni tandem, quod verum sit, quod solidum, quod appetendum, esse umquam potest, quod Invidia obterat atque prosternat? Cerno animo virtutem illam, quae te a communi vivendi consuetudine abhorrentem tantum a caeteris vitiosis hominibus secernit atque distinguit, quantum ipsa a vitiis omnibus secreta extollitur, candidisque evecta pennis caelum petere ipsum videtur. Atqui licet Invidia iniquis illam respiciat oculis; tamen, quum ab ejus nutu ac potestate minime pendeat, nullis eadem umquam viribus poterit labefactari. Obversatur mihi ante oculos doctri-

na illa tua, quae plurimarum te rerum scientia ornatum locupletat. Atqui divitiae istae tuae in abdito animi sinu recessuque positae non fures, non hostes, non praedonis cujusque vel rapacissimi manus pertimescunt. Quum igitur neque virtus, neque doctrina Invidiae voluntati ac furori subjiciatur, quodnam denique ipsa bonum surripere a nobis potest ac auferre?

Gloriam, inquis, quam summo nobis labore ac studio comparandam esse ducimus, Invidia obterit ac labefactat.

Non hic ego contentionem illam instituam, qua quaeri solet, an omnino bonum gloria sit, vel cujusmodi bonum existimandum. Non dicam, quod a sapientibus viris dicitur, gloriam esse rem inanem ac vanam, quae cupiditatis sitim non expleat, quae curas animo non depellat, quae amittendi metu augendique famam desiderio torqueat ac discruciet. Ne illud quidem attingam, quod sapientiae duces ac patres docuerunt, virtutem esse unum hominis bonum: hanc seipsa cumulate contentam esse: hanc de gloria minime laborare. Haec omnia tacitus praeteribo, quibus illorum facile reprehenderetur stultitia, qui immoderata gloriae cupiditate ducti in eos omnes irato animo irrumpunt, qui quavis illam ratione evertere moliuntur. Itaque illud permittamus, quod concedi a nobis postulatur, et gloriam in bonis et expetendis rebus collocandam esse dicamus. Quis autem, si gloriae

luce careat, in Invidiam exardescat? quis eam repetundarum postulet? quis non seipsum potius hujusce criminis incuset? Pugnat quidem, Auditores, Invidia, ut alienam deprimat convellatque gloriam; atque, ut nihil dissimulem, tam acerbe aliquando pugnat, ut expetitum de infensissima hoste triumphum relatura esse videatur. Sed quamquam omnes industriae nervos contendat, ut illuc, quo spectat, se pervenisse olim glorietur, quid ipsa hoc tanto impetu assequetur? An Sigonius quidquam de praeclara sui nominis existimatione deperdidit, quod in ipsum Invidia censoriam virgam audacter distrinxit, eumque non imperitum modo nulloque in litteris judicio praeditum, sed etiam doctrinarum corruptorem pessimum declaravit? An Alciatus ab ea, quam sibi comparavit, gloria repente dejectus est, quod multos doctrinae suae obtrectatores habuerit, quorum aliquos eo livoris insani pervenisse novimus, ut ipsum vix grammaticae artis scientia imbutum praedicaret? An Erasmus quidquam de excellentis doctrinae laude amisit umquam, quod in ipsum irruens Invidia contumeliosis libellis, ementito Philaletis nomine inscriptis, ejus famam crudeliter dilaniavit? Quis porro contemnendum putavit Philibertum Pingonium optime de re litteraria meritum, quod Alphonsus Delbenius, quidquid ille in lucem protulerit, nihili esse faciendum existimavit? Quis Gasparem Sardium despexit, quod, quum plurima liberalibus ar-

tibus ac praesertim historiae et antiquitatis memoriae utilia protulisset, eum Bartholomaeus Riccius Harpyam turpiter appellavit? Quis Torquatum Tassum, qui tertius meruit ab Homero et Virgilio numerari, non omni cumulandum laude sentiat, quod celeberrimum de Hierosolymis vindicatis Poema tam multis ac tam variis Invidiae clamoribus exploderetur? Vivit profecto, vivetque illud posterorum memoria sempiterna, eoque sane illustrius, quo magis Invidi declararunt, se, quum caetera Torquati opera non rectis spectare oculis potuerunt, tantam ejus tamque admirabilem lucem perferre minime valuisse. Itaque fremant Invidi, ringantur, latrent, atque undique debacchentur: quid est, cur illos acri insectemur odio, quorum conatibus magnorum Scriptorum laudem nullo extenuatam pacto intuemur?

Quid, quod non modo hanc non extenuant, sed augent etiam et amplificant? Habet enim Invidia, Auditores, invita illa quidem, hoc proprium, ut, quos insane vexat, potius ornet ac illustret, quam laedat et inobscuret. Quamdiu enim siluit Invidia, nonne tamdiu et Athenis Demosthenes ignotus fuit, et Romae Cicero inglorius latuit, et, quocumque incidant oculi, de preclarissimis viris publicae laudis famaeque voces siluerunt? Atque ut minus remota proferam, quandonam Carolus Ruinus ad sublimissimum gloriae culmen devenit, atque ad locupletissimas evectus cathe-

dras tam eximia frequentia Bononiae docuit, ut, quum a sexcentis discipulis ornaretur, auditores haberet clarissimos et Alciatum et Marcum Mantuam et Ludovicum Catonem et Ugonem Boncompagnium, qui deinde Pontifex Maximus renunciatus rem Christianam non tam imperii majestate, quam charitate patria amplificavit? Quis umquam fuit in re litteraria vel mediocriter versatus, qui non legerit, vel audiverit, haec tanta illi accessisse ornamenta doctrinae, quum suae laudis obtrectatores habuit infensissimos; ac praesertim Ferrariae Cortesem Mutinensem, Patavii Philippum Decium et Franciscum Parmensem, Bononiae denique Joannem Hannibalem et Grottium Monferrinum, a quibus fere omnibus victorias fere innumeras ac praestantissimas reportavit? Itaque non modo Invidia gloriam non imminuit ac deterit, sed ita etiam auget et exornat, ut majorem ipsi lucem adjungens clariori in dies splendore ornatam suspiciendam nobis proponat.

Quare quum Invidia et necessario gloriam sequatur, vel comitetur, et mansuetudine et cunctatione ac pugna irritetur, et nullum, quod verum, quod solidum, quod expetendum sit bonum labefactet, et illam, quam tantopere appetimus, gloriam exornet etiam et amplificet; quid est, cur ipsam tantopere aversemur, aut cur, ipsa nos lacessente, tanta animi nostri ulciscendae injuriae cupiditate exardescant? Prudens Romanorum respublica, quum clarissimi impera-

tores triumphali in Capitolium curru inveherentur, ne sibi ipsi forte nimium placerent, servum aliquem eodem deferendum curru esse censuit, ut mancipii vilissimi convicia inter plaudentes populi voces audirentur. Nos, si gloriae quasi curriculo insistamus, neminem audire velimus, nisi qui nobis plaudat, et sponte sua enascentem fastum adulatione et obsequio fovere curet? Sumusne singulari quadam felicitate supra communem hominum conditionem ita nos comparati, ut molestissima illa cornix, cui hoc veluti quoddam semper jus fuit, ut de summis quibusque viris, de regibus, de imperatoribus, de Jove ipso, qui, ut in veteri proverbio est, *nec serenus, nec pluvius omnibus placet*, summa libertate garriret, de nobis unis tacere debeat, aut raucam illam crocitationem suam in suavissimos cycneos cantus convertere, quibus in nostris animis insita assentatio demulceatur? Sumusne inter caeteros tam perfecte vel a natura conditi, vel ab arte doctrinaque expoliti, ut illa callida rerum omnium indagatrix, quae ipso in Sole maculas agnoscit, nulla, ne levia quidem, in nobis vitia deprehendat? Quae si aliquando detegat, non modo non aequo id animo perferemus, sed etiam ulciscendae veluti injuriae cupiditatem fovebimus, ac tamquam de gravissimo vindicando crimine cogitabimus? A quo vindicandi more prohibete vos, Adolescentes optimi, quorum instituendorum gratia, quam hactenus egi, causam suscepi. Ma-

gnum est in vestra adhuc tenera aetate praesidium contra Invidiam positum et collocatum. Si quando tamen, crescentibus aeque ac doctrina annis, coeperit haec ubique superbissime gliscens furiarum omnium teterrima vobis obstrepere, nolite, quaeso, irasci, in eamque impetum facere, ne illa vos crudelius aggrediatur, et acerbiores vobis plagas inurat. Cogitate, quam vanae ac futiles sunt illae nugae ac gerrae existimandae, quae tantos in re litteraria excitare fluctus consueverunt. Recolite animis, quod gravissime olim Seneca pronuntiavit, nihil esse homine stultius, qui verba metuat: quae quidem si vera exhibent, cur non grato illa animo accipiantur; sin autem falsa, cur ita accipiantur, quasi vere ab Invidis meritoque jactentur? Imitamini Diogenem illum Cynicum, virum magna sapientia praeditum, qui, quum in eum a miserando invidorum hominum genere convicia hujusmodi jactarentur, in voces non quidem futiles et ineptas multoque minus contumeliosas, at modestas, at prudentes, at graves erumpebat. Imitamini Caesarem Augustum, qui, quum libellos quosdam contra se scriptos ac prolatos intellexisset, effroenatam hanc licentiam, qua praeditus erat, eximia animi magnitudine contemnendam putavit. Imitamini modestissimos quosque maximeque prudentes viros, qui quamquam cicadae hujus molestissimae stridore lacesserentur; tamen veteri proverbio moniti eam ala corripere noluerunt. Itaque,

Adolescentes optimi, turpe et indignum esse existimantes vano vos Invidorum strepitu perturbari, istorum hominum exempla sectamini, et parem animi magnitudinem exhibete, ac de insano malorum judicio non laborantes in illud omni contentione incumbite, ut ea tantummodo peragatis, quae ab honestis recteque sentientibus viris favore et gratia excipiantur: tum demum egregias de Invidis omnibus sumpturi poenas, si, illorum aggressionibus contemptis atque despectis, suis ipsos privatis furiis ac tortoribus excruciandos denique relinquatis. Dixi.

DE TUENDA ITALORUM IN LITTERIS PRAESTANTIA

ORATIO IX.

Quod erat maxime providendum, et quod omni quo fieri modo poterat prohibendum, ne vel Litteratorum fastus, vel Criticorum licentia, vel Invidiae temeritas aliquando efficeret, ut una propemodum transalpina probaretur ab Italis eruditio, scriptoresque nostri fere passim turpissime contemnerentur; id neque provideri satis, neque propter deflendam temporum calamitatem prohiberi ulla ratione potuit, Auditores. Quotus enim quisque nunc est, qui non intelligat planeque sentiat, certatim hac nostra aetate externas linguas addisci, externorum hominum doctrinam praedicari, externos libros conquiri, summo comparari pretio, avidissimeque legi; linguam vero patriam obscurari sensim ac dehonestari, Italorum doctrinam despici ac ludicram existimari, Italos denique libros ita repudiari, ut domestica verentes ludibria atque convicia latebras quaerant, et conspectum lucemque publi-

cam reformident? Quod si hanc tam malam de nostris litteris opinionem exteri solum homines animo imbibissent, rem aequo animo ferrem, atque huic omni causae contentionique supersedissem. Hoc vero quis ferre possit? Domesticos ita ineptire ac fere insanire, ut perversam hanc opinandi rationem sequuti omnia prope domestica dicendo extenuent, atque externa tantummodo nimis avide consectentur. Pudere, pudere eos deberet Italorum ingenia superbe despicere ac fastidire, quibus effectum est, ut in litteris bonisque artibus ubique gentium atque terrarum dominaremur. Atque ut hujusce opinionis, quae jamdiu invaluit et quotidie magis invalescit, perversitatem intelligatis, ego libere aperteque profiteor atque contendo, nihil illa injuriosius, perniciosius nihil posse Italorum litteris evenire. Si qui autem hic forte adsunt, qui obtrectatorum nostrorum numero accreverint, peto ab illis, ne me accusatoris, sed patroni ac defensoris partes suscepisse in hujusmodi causa arbitrentur. Defendo enim aequitatem iniquissimis modis ab istis laesam ac violatam. Defendo Italorum doctrinam, quam isti summam in contumeliam despectumque adduxerunt. Defendo ipsam liberalium artium incolumitatem, quae, si Italis destituantur cultoribus, in discrimen vel maximum adducuntur; Majores nostros ingeniosissimos ac sapientissimos viros, qui injuriosius tractantur; Italicum denique nomen, quod imminuitur sensim et ob-

scuratur, patrocinandum suscipio: ut haec, quae videtur esse accusatio mea, non potius accusatio, quam defensio et appellanda sit et re ipsa existimanda. Adeste igitur, Auditores, et ea, quae dicam, sic accipite, non ut exteros despiciendos putetis; sed ut stimulos vobis additos intelligatis, quibus ad avitam gloriam conservandam excitentur animi vestri atque inflammentur.

Atque ut facilius injuriam, quam Italorum litteris isti domesticae osores laudis et magnifici exterorum praecones inferunt, recognoscatis; sinite me, Auditores, illa communia decora, quibus et optimorum ingeniorum et sapientissimorum virorum copia et multiplici doctrinarum varietate floruimus, commemorare. Tanto enim major censenda injuria est, quae a perverso, quem accusamus, more nostris infertur litteris, quanto majori in omni litterarum genere excellentia Itali homines caeteris gentibus praestiterunt. Itaque sic existimo: nullum esse disciplinarum artiumque genus, in quo Italica natio non excelluerit; ac non ita excelluerit, ut amplissimum in litteris principatum obtinens reliquas omnes nationes facile superarit.

Quod ut a me vere prolatum esse intelligatur, non dicam litteras ante illas doctrinarum omnium inventrices Athenas primum in Italia natas atque enutritas, deinde in exteras fuisse gentes propagatas: quod ex vetustissimis Hetruscorum monumentis, et luculentissimis Diodori ac Livii testimoniis facili possem ra-

tione contendere. Non commemorabo clarissima illa sapientiae lumina, quae Augusti aetate litteris potius, quam triumphis, gentes omnes ad humanitatem et elegantiam traduxerunt. Praeteribo tacitus barbara, quae vocantur, saecula, quae certe doctis hominibus destituta prorsus non fuerunt, qui litterarum, quae abjectae passim despectaeque jacebant, patrocinium, quoquo modo possent, in omnibus Europae regionibus susceperunt. Ad eam, quae Italis omnium gentium consensu sententiaque defertur, laudem, quaque ipsi potissimum principatum in litteris obtinuerunt, contento cursu mea festinat oratio. Oh tempus illud faustum atque beatum ac prope ad immortalitatem Italici nominis consecrandum, quo tempore Itali litteras bonasque artes, quae barbararum gentium conluvione pristinam dignitatem abjecerant, omnium principes restituerunt, ac restitutas vehementi animorum contentione excoluerunt! Tunc Italiae splendor omnibus gentibus affulsit: tunc Europae universae sapientiae lumen oblatum est: tunc nationes exterae coeperunt agnoscere, Italos homines amplitudini gloriaeque natos semper ea, quae mediocria sunt, contempsisse, et numquam ad summum in omni laudum genere non pervenisse. Nam reseratis bibliothecis, quae antea situ obsitae squallescere videbantur, et uberrimis doctrinarum fontibus patefactis, mirum dictu est, quot praeclarissimi in omni facultate viri subito prodierunt.

Verum in tanta rerum magnitudine, in tanta litterarum varietate, in tantis ornamentorum insignibus quid ego prius, quid posterius proferam, Auditores? Videntur mihi facultates omnes ante oculos obversari, cultoresque suos, quibus maxime ad summum honoris gradum provectae sunt, ad intuendum proponere: singulae a me exornari volunt, singulae commemorari. Adest illa disciplinarum omnium princeps, quae de Deo rebusque divinis agit, et quum Anselmum Cantuariensem Episcopum, a quo ad concertationes acuendis ingeniis accommodatas est traducta; quum Petrum Lombardum, a quo majorem, apud Gallos praesertim, authoritatem obtinuit; quum Thomam Aquinatem, cui parem neminem extitisse doctissimi viri censuerunt; quum denique Bonaventuram recordatur, qui Parisiensem Academiam Europamque totam sapientiae luce perfudit; illud profecto docet, in ea Italos omnium maxime excelluisse. Adest illa, quae in controversiis definiendis versatur, et uno praecipue gaudet Bellarmino, cui nemo in hoc concertationis genere sive exercitatione, sive vehementia, sive palmarum nobilitate anteferri potest, aut aequiparari; quem unum hostes ipsi maxime suspexerunt, unum prae caeteris formidarunt; quem denique Clemens Octavus, quum illum in Purpuratorum Patrum conlegium adlegit, doctissimum omnium virorum, qui eo florebant tempore, nominavit. Adest illa sacrarum rerum testis ornatrixque fa-

cultas, quae, si divinorum librorum enarrationes condendas illustrandasque suscipiat, ostendit quidem Gallum hominem Salianum sese in iis feliciter exercuisse; at illi palmam a Torniello homine Italo in hoc tanto suscipiendo opere praereptam esse declarat: si vero Catholicae Religionis exordia, si incrementa, si ritus, si disciplinam atque instituta condiscenda proponat, illum Baronium exhibet, cui licet aliquid minus vero ac severioris Criticae legibus consentaneum exciderit, cum eo tamen nemo umquam est ausus in amplissimae contentionem laudis prodire. Me quodammodo vocat ac rapit jus illud Pontificium, quod unius Gratiani nomine gestire pene ac superbire videtur. Me jus illud Civile, quod post Ulpianos illos, Paullos Patavinos, Tribonianos, aliosque hujus notae famaeque viros, Irnesios, Accursios, Baldos, ac Bartolos suspiciendos proponit. Me illa veterum philosophandi ratio, quae Marsilium Ficinum Platonicum longe celeberrimum, et Picum Mirandulanum singulari ingenii doctrinaeque praestantia clarissimum; quae Laurentium Vallam, Domitium Calderinum, ac magnum illum Fracastorium, qui ad naturae contemplationem propius accessit; quae Franciscum Patritium, Jordanem Brunum, Bernardinum Telesium, aliosque innumeros recensere vellet ac praedicare. Nec vero non allicior atque commoveor ab illa Philosophiae parte amoenissima, quam recentiores Physici impensissime coluerunt, quae quo-

ties Torricellium, Castellium, Borellium, qui novis illam inventis locupletarunt; quoties Grimaldum illum in lucis natura ejusque proprietatibus indagandis acerrimum, qui viam Nevvtono ipsi, qua multigenos luminis radios detegeret, significavit; quoties Mathematicae, quam habet comitem, alumnos memorat, Lucam Biturgiensem, Tartaleam Brixiensem, Cardanum, Ferrarium, qui Algebram ab infinitis numerorum ambagibus evolutam perfecerunt, aliisque omissis, Galilaeum illum, qui rationem maxime accommodatam investigandis naturae penetralibus commonstravit; toties comprobare videtur, nostrorum hominum ingenia multum cunctis hominibus, ad quaecumque se verterent, praestitisse.

Nullum profecto finem dicendi facerem, si mihi per omnes disciplinarum facultates liberet licentius liberiusque vagari. Itaque in illis, quae humaniores vocantur, litteris immorabor, quae cum ad instituti mei rationem pertinent, tum jure quodam suo eamdem, quam mihi dederunt, vocem efflagitare videntur. Quo loco eximiosne illos viros, qui patrio floruerunt sermone, an illos, qui latina scripserunt lingua, a me commemorari vultis, Auditores? Utrosque arbitror. Nam postquam Franciscus Petrarca litteras bonasque artes misero fatalique casu extinctas ad vitam revocavit, egregii utraque in lingua Scriptores summum Italiae decus ac nomen pepererunt.

Atque ut primum eos, qui patrium excoluerunt sermonem, proferam; quod litterarum genus esse potuit, in quo summam Italos praestantiam assequutos esse non intelligamus? An illa bene dicendi facultas, in qua se tantopere jactant Galli, et qua nostros caruisse homines acriter pugnacesque contendunt? At quum Itali ingenium ad praestantissima quaeque aptum nacti sint, licet a perfectissima illa, quam Cicero exhibuit, eloquentiae forma adhuc absint, in ea tamen excolenda ad Tullianam agendi rationem omnium maxime adcesserunt. Testantur id Etruscae Joannis Casae Orationes, in quibus Ciceronem ipsum nostra prope loquentem lingua omnes, qui acri pollent ingenio, merito suspexerunt. Testatur ille Claudius Ptolomaeus, a quo eloquentia ad eam est absolutionem adducta, ut quidquid in ipso nullo delectu legas, eo nihil excogitari melius, nec dici ornatius posse videatur. Testantur illae Badoari actiones, qui ita populari floruit eloquentia, ut, quae in forensi Oratore Tullius requirit, ea in ipso mira quadam ratione conjuncta animadvertamus. Paullum vero Segnerum praeterire qui possum? summum plane ac perfectum oratorem, qui sese ita ad auream illam germanamque dicendi formam effinxit, ut Italus Cicero doctorum omnium habeatur consensu, ac jure optimo appelletur. Expecto adhuc, dum aliquis tandem aliquando in Gallia Orator existat, qui ita sit in disputando subtilis, in laudando magni-

ficus, in agendo commotus, in amplificando gravis, in ornando copiosus; qui ita pertentet sensus, atque admirabili prope oblectatione devinciat; qui ita affectus permoveat, sedatos concitet, concitatos sedet atque componat, ut Tullianam illam Optimi formam exprimat, quam probet populus, ac sapiens quisque admiretur. An vero Italos, qui tantum eloquentiae laude floruerunt, ad perfectam historiae conscribendae rationem non accessisse dicemus? Atqui ego sic existimo, Auditores: quotiescumque nos aut Nardium, aut Varchium, aut Bartolum, aut Pallavicinum, aut Guicciardinum legimus, vel audimus, non magnopere a nobis veteres illos Herodotos, Thucydides, Livios, Sallustios, Tacitos oportere requiri. An egregiorum Poetarum, quibus Itali abundant, copiam desideratis? Prodeat Dantes ille Aligherius, qui propter exquisitam rerum omnium eruditionem Homerus Italus est appellatus, ab eoque statim veluti a perenni fonte deducti et sapientiae et incorrupti sermonis rivi caeterorum, qui ipsum consequuti sunt, vatum ora satis superque irrigarunt. Prodeat Franciscus Petrarca, ubi concinnitas, ubi cultus, ubi tanta elucet venustas ac tanta in omni genere dignitas atque praestantia, ut merito cum lyricis latinorum vatibus conferatur. Prodeat Alamannus ille, qui ita cultos de Agricultura libros conscripsit, ut clarissimi non defuerint viri, a quibus cum Virgilio ipso, qui in eodem argumenti genere

versatus est, compararetur. Nam quid ego de Areosto loquar, quem mira ingenii felicitas, quem acerrima excogitandi vis, quem novum in disjunctissimis rebus conjungendis artificium supra omnes exterarum gentium vates extulerunt? Quid Torquatum illum Tassum commemorem, qui celeberrimum de Hierosolymis vindicatis poema adeo luculenter confecit, ut nihil magis ingenio perfectum atque industria absolutum esse existimetur? Potestne quaecumque sit tandem natio ullum proferre vatem, qui in hoc omnium difficillimo Poeseos genere praestantius aliquid elaborarit? Sit in Hispania clarus Ercilla: summis in Anglia Miltonus laudibus efferatur: in Lusitania Camoensius praedicetur: in Gallia Voltairius omnium linguis ac litteris celebretur. Quis tamen audeat illorum quemquam Poetarum cum Italo Tasso ratione aliqua comparare, quem ita doctissimi quique viri sunt admirati, ut tertius ab Homero et Virgilio numeraretur? Mitto itaque Guidiccionios, Bembos, Caros, Casas, Constantios, aliosque innumeros, quos Lyricum canendi genus delectavit. Mitto Trissinum, qui Sophonisbam; Oricelarium, qui Orestem; Livieram, qui Cresphontem; Torellium, qui Meropem; Bracciolinum, qui Evandrum; Bonarellum, qui Solimanum; Tassum, qui Torrismundum cothurnis incedentem suis eo tempore in scenas induxerunt, quo reliquae nationes nihil excellenti dignum laude protulerant, nostrique homines cum praestantissimis

Graecis comparabantur. Mitto Salviatum, Areostum Picolomineum, aliosque egregios Comoediarum Scriptc res, qui tunc omnium doctorum linguis efferebantur quum caeterae gentes praeclarum nihil in hujusmo carmine conarentur. Haec omnia silentio praeterean tur: modo illud ad immortalem Italici nominis glc riam praedicetur, nihil Tassiano poemate perfectiu posse ab exteris gentibus exhiberi. Tantum Italoru ingenia industria atque exercitatione potuerunt, pos quam linguam patriam Boccaccius, Villanus, Pass vantius, aliique viri clarissimi perfecerunt.

Age vero, quantum eadem latine eleganterq scribendi laude praestent, consideremus. Quamqua non sum ego tam demens tamque omnium rerum gnarus atque expers, ut nesciam, quid de Italoru latine scribendi ratione etiam exteri senserunt viri libere pronuntiarunt. Quod si non et ipsi sensisse ac pronuntiassent, Italiae tamen hac uti voce et cl mare palam liceret: Habui, habui incorruptae latin tatis scriptores, qui imitatione ac labore auream illa venustatem et elegantiam, quam Augusti suspexit a tas, luculentissime retulerunt. Ego Maffejum illu protuli, de quo tam praeclara gravissimi homines ju dicia fecerunt, ut amplissimum consignatum litter testimonium posteritati mandarint, ab eo rectam lat ne scribendi peti formam debere, si aureae monume ta latinitatis casu aliquo interirent. Ego Sigonium i

lum, qui ita sese in scribendo purum ac teretem venustumque exhibuit, ut inter doctissimos viros anceps diu contentio fuerit, essetne Sigonii ipsius, an Ciceronis foetus liber de Consolatione inscriptus existimandus. Ego Politianum illum, qui Herodiani historiam e graeco in latinum sermonem tam accurate convertit, ut, quae in ipsa occurrunt et apta verbis et conclusa numeris et distincta luminibus, absolutum sincerae latinitatis exemplar ad intuendum proponant. Ego Faernum illum, qui venustissimas reliquit fabulas, quibus, praeter antiquitatem, nihil ad summam existimationem deesse potest, quum multi olim extiterint, qui eas ex vetusto aliquo aetatis aureae codice exscriptas esse putarint. Ego Bembos, Sadoletos, Manutios, ego Victorios, Pogianos, Gratianos, ego innumeros alios Scriptores peperi, qui pene amissum latiae linguae decus et ornamentum iisdem sedibus, quibus olim toti terrarum orbi jura legesque dabam, restituerunt. Aspiciant Itali osores mei, aspiciant Galli, aspiciant omnes exterae gentes ac nationes hunc florem hominum litteratorum, in quibus, si oratores requirant, occurrunt Sigonii, Bencii, Gallutii; si historicos velint, adsunt Bembi, Gratiani, Maffeji; si poetas desiderent, prodeunt Fracastorius, Sanazarius, Flaminius, Castilionus, Naugerius, Vida, cujus Poetica Institutio Scaligeri sententia Horatianae ipsi antefertur. Suos deinde Scriptores proferant praestantiores, et Perpinia-

nos, et Muretos, aliosque hujusmodi notae viros, qui latine loquendi laude insigniter praecelluerunt. Fatebuntur ipsi quidem, eosdem cum meorum numero nullo componi modo posse, atque hic in sinu meo, ubi plerique vel perpetuo, vel diutius commorati sunt, elegantiam et cultum adeptos esse, ut domestici potius, quam exteri habendi esse videantur. Quae quum ita sint, Auditores, illud mihi concedendum est jure, quod satis, opinor, superque docui, Italos nempe homines litterarum gloria atque ornamento reliquis omnibus gentibus praestitisse.

Hic autem Italorum in litteris constituta praestantia, quid, rogo, aliud necessario consequitur, nisi ut nihil injuriosum magis Italis evenire litteris judicetis, quam ut istae a nobis numquam satis detestandae opinionis perversitate misere contemnantur? Quamvis enim exiguus in Italia esset sapientum virorum numerus; et angusta doctrinae nostrae supellex; si quid tamen existeret, quod commendatione dignum judicaretur, eam nostris hominibus non sine injuria denegaremus. Illud enim patriae nomen ac splendor sibi quodam postulare jure videtur, ut, si quid in domesticis ornamentis emineat, quod probari merito a nobis queat, laudi ultro ac praedicationi indulgeamus. Domesticorum enim praeconia et laudes industriam fovent, artes alunt, ingenium acuunt, et hominibus insitum discendi studium incendunt. Intellexerunt hoc

profecto gentes omnes ac nationes, quarum nulla usquam extitit, quae patriae abjiceret decora atque ornamenta, quae scriptores despiceret suos, quae ferre aequo animo posset, eos ab alienis contemni, quae de illis non sentiret magnifice, ac magnificentius non loqueretur. Neque vero solum, quum litterarum lumen longe lateque diffusum omnium oculos perstringebat; sed in ipsis exordiis etiam, quum erigebant sese paullatim, et ad illam, qua mirum deinde in modum illustratae sunt, dignitatis lucem contendebant. Hinc apud Graecos in Phaeacum et Procorum epulis, et apud Latinos a singulis convivis Poetarum carmina, licet absona, canebantur. Hinc Cato volumen illud de Originibus conscripsit, ut illustrium, qui Romae floruerant, hominum memoriam posteris commendaret. Hinc Tullius opus illud confecit, quo claros omnes Oratores non sine praedicatione et laude recenseret. Mitto Anglos ac Batavos, Germanos et Hispanos, Belgas et Gallos, qui domesticorum doctrinam numquam non unanimi sunt assensu, favore, et gratia prosequuti. Quamvis enim ipsorum litterae non ad eam, quam postea adeptae sunt, dignitatem essent evectae; illae tamen contemni minime debuerant; propterea quod, hoc honestissimo domesticae laudis praemio proposito, incredibiles erant processus et incrementa maxima habiturae. Quare licet nostrae doctrinae census exiguus esset ac tenuis, licet doctorum

paucitate hominum laboraremus; isti tamen externae doctrinae praecones magniloqui, domesticaeque laudis osores superbissimi magnam Italis et litteris et hominibus injuriam turpiter inferrent. Quum autem ea sapientum virorum copia abundemus, eaque in litteris excellamus praestantia, quam jactare merito, et non ad contentionem solum, sed ad exterarum etiam nationum invidiam prope dixerim ostentare possimus; poteritne aliquid Italorum litteris injuriosius inferri, quod cum perverso hoc domesticorum contemptu, et cum praepostera hac exterorum tantummodo hominum praedicatione queat comparari?

At enim fuit hoc quondam in Italia discendi sciendique studium ita ardens, ut nihil, quod egregium non esset, nostri homines aggrederentur. Nunc vero multum ab ea distamus laude, quam sibi Majores nostri ingenio ac labore comparaverunt.

Cui quidem interpellationi quid ego reponendum putem, Auditores? Possem multos litteratos viros proferre, qui Italiam postremis hisce temporibus sapientiae lumine conlustrarunt. Possem eos nominatim edere, quos cum amoeniores ac severiores litterae ad summum honoris gradum provexerunt; tum exterae quoque gentes ad se magno allectos pretio evocarunt: quod sane facere omisissent, nisi multum inde suis urbibus decoris profecturum putassent. Sed quum nolim hic ego contentionem hujusmodi instituere, brevissime tantum di-

cam: Si vere, ut domesticae osores laudis contendunt, Italia modo non, quemadmodum olim, litteratis abundat viris, nihil esse perniciosius posse ea opinionis perversitate, qua factum est, ut ab ipsis Italis domesticorum doctrina contemneretur, et exterorum sapientiae patrocinium susciperetur. Nam, per Superum hominumque fidem! ex quo tandem hujusce calamitatis, qua major excogitari nequit, repetendam causam putabimus? Opinor, vel ex ingeniis, vel ex adjumentis, vel ex incitamentis, vel ex industria, contentione, et labore, quae forte progrediente tempore in nostris hominibus defecerunt. At non ingenia desunt. Est eadem, ut quondam, experrecta mens, est idem acre judicium, est eadem animi vis inusitata ac praestans, qua non solum Itali excellunt maxime, sed, ut Cicero optimus ingeniorum aestimator sensit, reliquis etiam nationibus fere antecellunt. Quae tellus, quae mitissima caeli temperies, quae amoenissima Italiae constitutio extulit quondam Tullios et Livios et Plautos et Lucretios et Virgilios et alios hujus famae viros; quid est, quamobrem horum similes efferre amplius non potuerit? Non adjumenta desunt. Sive enim Doctores, quibus erudiamur, sive supellectilem, qua ad omnem doctrinam comparandam instruamur, desideres; illos sufficiunt publicae Academiae, sive gymnasia; quo convenire studiorum causa juventus solet: Ticinense in Insubria, Pataviense in Tribu Fabia, Bo-

noniense in Aemilia, Mutinense in Gallia Togata, Pisanum in Etruria, Romanum in Latio, Perusinum in Umbria, Firmanum hoc nostrum in Piceno; hanc suppeditant Bibliothecae locupletissimae, quae prope infinita praestantissimorum scriptorum copia refertae in omnibus fere Lyceis, ac Romae praesertim, Florentiae, ac Mutinae adservantur. Non incitamenta desunt. Nam et Majorum monumenta et Patrum exempla et Civium dignitas et Urbium nobilitas numquam animos ad omne egregium facinus non commoverunt. Itaque illud solum, quod extremum posuimus, deesse potest; hominum nempe industria, contentio, ac labor, sine quibus nec quidquam ingenium valuit, nec adjumenta et incitamenta umquam conferre aliquid potuerunt. At si industria, si contentio, si labor defuit, nonne isti domesticae osores laudis atque exterorum sapientiae praecones tantam nostris hominibus ac litteris calamitatem intulerunt? Quis enim industriam adhibere, quis contendere animum, quis tantum, quantum litterarum studia requirunt, ferre laborem velit, quum quotidie audiat ac sentiat, sese, licet optima conantem, non modo ab alienis, sed a suis etiam deprimi ac fastidiri? Nam, si res omnes diligenti inspiciamus animo, inter ea, quae maxime homines ad laborem impellunt, domesticorum laudem, benevolentiam, et gratiam vel principem, vel saltem praecipuum obtinere locum arbitrabimur. Hac semper tamquam admotis lateri cal-

caribus hominum animi ad praestantissima quaeque sunt incitati: hac ad ardua vel suscipienda, vel conficienda compulsi: hac ad liberales artes omnibus industriae nervis excolendas allecti. Domesticorum studio ac favore miros apud Graecos litterae progressus effecerunt: eodem apud Romanos Eloquentia crevit ac Poesis, atque ad illam perfectionem devenit, qua nihil politius potest inveniri: eodem Italia, quum Cosmi illi, Hyppoliti, Leones Decimi litteras bonasque artes fovebant, incredibili doctorum hominum copia redundavit. Desit hujusmodi favor ac studium, desit gratia, domesticorum desit benevolentia, quum contrariorum contraria sint consequentia, litterae imminuantur sensim necesse est, litterarum cultores despondeant animum, industriae nervi incidantur, et bonarum rerum omnium semina opprimantur. Quare si nos Itali ab avita litterarum gloria defecimus, in quos potissimum hujusce calamitatis causam conferemus, nisi in illos, quos domestica omnia negligere ac despuere animadvertas? Quod si, ut potius arbitror, adhuc nostrae a nobis litterae in eo dignitatis gradu retinentur, ad quem illas Majores nostri tanta cum nominis existimatione provexerant; concident ipsae tamen paullatim, aut certe non amplius ab Italis impense, ut olim, excolentur, nisi, quoad ejus fieri possit, provideatur, ne illa opinionis perversitas, quam ab initio redarguendam suscepi, latius ad commune Italiae dedecus propagetur.

Quis enim iis artibus operam dabit, quae passim una cum suis cultoribus contemnuntur? Quis proprium in iis volet ingenium periclitari, in quibus famae jacturam ulla sine dubitatione subibit? Quis illustre aliquid mediterur, quum sese a suis repudiari animadvertat?

A qua pernicie, quae maxima est, prohibete res Italas, quotquot hic adestis, Viri gravissimi, quos et indoles et institutio et facilitas et sapientia ad quaeque optima comparavit. Prohibete quotquot huc convenistis, Adolescentes optimi, quos et ingenium velox et laudis amor et Majorum incitamenta ad egregia quaeque compellunt. Res enim ejusmodi est, quae maxime vestros animos inflammare debet, in qua pene unum, quod superest, Italiae decus atque ornamentum agitur: quo neglecto vix aliquid poterit reperiri, quo omnium gentium abjectissimi non videamur. Nam alia decora atque ornamenta, quae nostros quondam Majores supra gentes caeteras extulerunt, ea pene amisimus universa. Jamdiu lanificia nostra ac textilia serica conciderunt, quae propter hominum contemptum atque fastidium eo prolapsa sunt abjectionis, unde vix relevari posse videntur. Jamdiu navigatio nostra conquievit, quam nobis exteri magna ex parte eripuerunt, perinde ac illi Genuenses Columbi atque Americi Vespuccii, quum sese ignota in maria non sine magno vitae discrimine conjecerunt, de novo externorum tantummodo navibus aperiendo itinere cogitassent. Jamdiu

armorum splendor evanuit, quibus effectum erat, ut olim terra marique gentibus omnibus imperaremus. Quae quondam extulerat Marsos et pubem Sabellam et Decios et Marios et Camillos et Scipiadas et alios hujus famae innumerabiles viros, non est, cur amplius de veteri in armis recuperanda gloria cogitare rursus Italia possit. Tot igitur partim desperatis, partim amissis, partim nostrorum hominum incuria neglectis ornamentis; quid tandem nobis restat, Auditores, quo inter reliquas Europae nationes, si non amplius emineamus, saltem ne omnium gentium despicatissimi existimemur? Unum, opinor: ad litteras bonasque artes vehementer incumbere, ipsarum studia impense pro virili parte fovere, litteratos viros omni benevolentiae significatione prosequi, et eorum rationibus utilitatique servire. Sumamus igitur animos dignos Italo nomine, dignos Majorum monumentis, dignos Antistite illo ac supremo studiorum nostrorum Moderatore, quem ad bene de nostris litteris sperandum quasi signum aliquod sustulisse merito gratulamur. His veluti quibusdam stimulis ad avitam gloriam, si amisimus, recuperandam, si retinemus, conservandam, si possumus, augendam etiam cumulandamque excitemur. Dixi.

DE LINGUAE LATINAE STUDIO RETINENDO

ORATIO X.

Quanam perversitate rerum factum esse dicam, Auditores, ut hac aetate litteris bonisque artibus infesta ea quotidie magis Graeculorum natio succrescat, quae vernaculae solum blandiatur linguae, et, quemadmodum Lagomarsinius inquit, hanc unam esse tamquam virgunculam elegantissimae omnium formae, unam decoram et expetendam, unamque veluti procandam praedicet: latinam contra ut effoetam aetate anum, turpem, rugosam, edentulam, deliram aversetur, exsibilet, insectetur? Nimirum Itali insolenti quodam domesticarum rerum fastidio quasi morbo aliquo laborantes omnia fere superbe abjiciunt, quae nostri homines de studiorum ratione optime praeceperunt: quae vero ab exteris ad nos adveniunt opiniones seu consuetudines tollentes veteres, seu novas inducentes, eae statim animis imbibuntur, et tamquam rei litterariae utiles praedicantur. Atque hic sane morbus, qui in dies

gliscit serpitque sensim sic jam corripuit multorum animos atque pervertit, ut mihi isti non ineptire solum, sed insanire propemodum videantur. Una fere hodie peregrinitas placet, una probatur, una quovis pretio comparatur. Hoc fieri in sericis dolemus vestibus, hoc in lanificiis ad nos delatis, hoc in operibus omnibus e transmarinis oris ad nos advectis. Sed haec, quae satis inepta sunt, quis non risu potius, quam verbis, refutanda esse arbitretur? Illud sane est longe gravius, in quo mea hodierna die versari debet oratio. Linguarum omnium regina princeps meam hodie vocem efflagitat, qua se a stultorum hominum defendere telis armisque possit. Timet enim, ne, si perversa opinandi ratio, quae ab hominibus exteris ad nos devenit, quotidie magis invalescat, ea tandem ornamenta amittat, quibus ipsa olim in omni libero populo praecipue floruit, de suisque hostibus triumphavit. Morem ipsi libenter geram, et sic hodie apud vos agam, Auditores, ut latinae linguae studium omni esse a vobis retinendum ope arbitremini. Hoc dum praesto, oro vos obsecroque, Auditores, ut, si, quae sentio, expromam libere, si linguae latinae osores aperte insecter, si, oblata occasione, dolentius interdum conquerar; id non ingenio meo, quod ab omni acerbitate abhorret, sed rei, quam sum acturus, naturae adscribendum esse putetis.

Intuenti mihi saepenumero in linguarum cognitio-

nem et usum, atque hominum diversa commoda contemplanti, illa profecto lingua omni retinenda ope videtur, quae litterariis hominum rationibus est maxime profutura. Jam vero quis tam doctrinarum expers invenietur, qui hujusmodi esse latinam linguam mihi jure ac merito non concedat? Aspicite, quaeso, Auditores, quam longe ac late ipsius pateat imperium, ac per omnes diffusum terrarum partes propagetur. Haec licet Romani populi quondam propria, hodie tamen in omnibus ferme gentibus dominatur, et immensis tantummodo litterarum terminis definitur. Nullae enim sunt usquam Academiae, nulli doctorum hominum coetus, nulla gymnasia, ubi jure quodam suo non propemodum regnet; ac non ita regnet, ut tamquam parens disciplinarum omnium et artium non agnoscatur. Concidit ista quidem in funesta illa barbararum gentium conluvione, quae tantam, quantam novimus, Italiae pestem ac vastitatem intulit; sed ita concidit, ut omnes omnino litterae eodem labefactatae motu conciderent, eademque clade interirent. Neque vero istae, reddita Italiae pace, excitari iterum potuerunt, quin illa continuo in lucem revocaretur, et cum caeteris artibus ac disciplinis ea, qua pollebat olim, dignitate floreret, Itaque in patrio solo iterum collocata non modo nostrorum hominum curam et industriam, sed exterarum quoque gentium studia inflammavit, illudque ex illata sibi calamitate retulit, ut, quae

antea exiguis finibus, Tullio teste, continebatur, nullis postea terrarum terminis, ubi colebantur litterae, circumscriberetur. Jam enim latini esse coeperunt Hispani et Angli, Germani et Belgae, Lusitani et Galli, aliaeque gentes ac nationes, quae sese bonis excolendis artibus adjecerunt. Jam omnes omnium facultatum duces ac patres suas latinis vocibus doctrinas in lucem conspectumque hominum protulerunt. Haec igitur una est lingua, quae potissimum in omnibus fere gentibus viget: haec, quae omnes artes ac disciplinas suis expressas atque explicatas vocibus cognoscendas proponit.

Bene habet, Auditores: jacta sunt orationis meae fundamenta, quibus positis necessario illud, quod initio dixi, consequitur, latinam nempe linguam litterariis hominum rationibus maxime inservire. Quid enim in tot ac tantis studiorum laboribus suscipiendis sibi litterati viri proponunt? quonam conatus eorum omnes referuntur? quo illa tanta virium animique spectat contentio? Nimirum eo, ut vel multam sibi comparent doctrinae copiam, vel eamdem sibi comparatam proferre in lucem queant. Quis autem non videat planeque intelligat, hujusmodi laborum fructus jucundissimos ex latinae cognitione linguae, quam ex vernaculae studio, percipi uberius posse?

Atque ut primum de multa nobis comparandae doctrinae copia loquamur; quodnam artium ac scien-

tiarum genus excogitari a nobis fingique potest, quod a rei litterariae tamquam ducibus ac parentibus non sit latinis litteris consignatum? Percurrite, quaeso, animo Grammaticam artem ac Rhetoricam, Philosophiam ac Theologiam, Jurisprudentiam ac Medicinam, Geometriam et Astronomiam, Historiam et Chronologiam, aliasque facultates omnes, quae vos vel utilitate, vel jucunditate sua impellere ad discendum possint. Occurrent profecto vobis sapientissimi aetatum omnium viri, qui cum facultatum ac doctrinarum magistri habentur et appellantur; tum, quamcumque sive artem, sive scientiam pertractandam susceperint, cogitata sua latinis digesta verbis posteritati mandarunt. Qui itaque unius vernaculae linguae delectatur studio, carebit Grammaticorum ac Rhetorum adjumentis, carebit Philosophorum et Mathematicorum cognitionibus, carebit Theologorum et Civilium jurium doctrina, multarum denique carebit scientia rerum, quibus omnis humanae vitae ratio continetur. Neque vero illud mihi quisquam intempestive obtrudat, quod Graeculi quidam apud imperitum vulgus profano effutiunt ore; artes nimirum omnes ac scientias non latina tantum, sed vernacula etiam lingua pertractatas nobis exhiberi. Quaero enim primum: qui hujusmodi homines fuerint, qui in pertractandis artibus ac scientiis vernacula usi lingua fuerint? Non certe Theologorum principes, non Philosophorum duces, non Jurispruden-

tiae antistites, non Mathematicorum, sive aliar' sublimium facultatum peritissimi, non ipsarum humaniorum artium ac litterarum magistri, a quibus omne sive eloquentiae, sive poeseos, sive etiam grammaticae artificium ad nos pervenit. Qui ergo libris vernacula scriptis lingua uti volent, relictis fontibus, facultatum rivulos consectabuntur. Quod quam minus salutare sit, minusque rectae rationi consonum, a nemine arbitror non videri. Quaero deinde: quanam ratione fuerint scientiae artesque omnes ab his, qui vernacula scripserunt lingua, pertractatae? Nimirum ea, quam unam diligant imberbes juvenes, qui vix e gymnasiis publicis excesserunt, et, quum omnia scire se profiteantur, nihil profecto sciunt aliud ab eo, quod a libellis, qui a ferendo nomen accipiunt, mutuari tantum consueverunt. Nimirum ea, qua delectentur una belluli quidam homines, qui solum arcana quaedam scientiarum artiumque nomina, quae ne recte quidem intelligunt, pronuntiare vultu ad gravitatem composito pernoverunt. Nimirum ea, qua utantur una in matronarum coetibus Ardeliones quidam, qui in occupatione ipsa otiosi modo totas noctes in alea choreisque consumunt, modo tota passim urbe concursant, modo, si quid tandem nobis de scientia doctrinaque sua depromunt, aut carmen exhibent, quod Musarum aures importuna, qua sola redolent, loquacitate obtundant; aut diatribam edunt, quae nebulones tantum ac gerras allicere ad legendum queat. Si

quis autem vestrum, Auditores, sive eloquentia, sive poesi tantum inlectus praestantissimos Italorum omnium Oratores ac Poetas, qui multi sunt, sibi cognoscendos esse arbitretur; is animadvertat velim, eos ipsos italos tum Oratores, tum Poetas, qui in sua maxime arte excelluerunt, a latinis scriptoribus ornamenta illa accepisse, quibus omnium hodie gentium linguis ac laudibus celebrantur. Ex hoc numero fuisse novimus sapientissimos illos viros, qui, barbarie exacta, saeculo sexto decimo singulari plane doctrina praediti excelluerunt, quos ad immortalem italici nominis gloriam nulla umquam aetas non praedicabit. Quod si Italorum omnium viri praestantissimi latinorum hominum sese dediderunt litteris, ut amplissimos, qui ab iis gignuntur, fructus consequerentur; quid nobis honestissimarum artium et doctrinarum cupidis faciendum esse arbitrabimur? Illamne latinam linguam, a qua plurima illa traduntur disciplinae praecepta, quae ad omnem humanitatem, quae ad vitam, quae ad mores, quae ad familiam, quae ad naturae ac Dei cognitionem pertinent, negligemus? Quid aliud hoc esse queat, nisi omnem fere doctrinae comparandae copiam aversari?

Quid, si quis velit ejusdem doctrinae copiam in lucem proferre? Hic enim est alter uberrimus latinarum litterarum fructus, quem in scribendo positum intuemur. Qui enim suam ad latine scribendum industri-

am conferunt, ii ea lingua sensus expromunt suos, quae cum in omnibus fere gentibus viget ac dominatur, tum habet in iis plurimos non ex faece vulgi, sed ex quolibet hominum litteratorum coetu honestissimos viros, a quibus intelligi ipsa possit. Quod quanti faciendum sit, declarant apud Romanos, qui quondam res domesticas graecis litteris, ut pluribus essent cognitae hominibus, tradiderunt. Egregie id sane. Qui enim scribunt, Muretus inquit, aut utilitatem publicam, aut gloriam suam persequuntur. Si utilitatem publicam; certe multo pluribus proderunt, si ea scribant lingua, quae apud omnes fere gentes, quibuscum aliquid usus, aut commercii est, intelligatur. Si vero gloriam; hanc longius latiusque diffundent, si ea scribant, quorum pulchritudo ab omnibus populis ac gentibus percipiatur. Videte igitur, Auditores, quem nobis animum pro latinae linguae studio suscipiendum putemus. Quid? Illi, quorum facta litteris consignamus, ea in ultimas propagari terras, atque ab omnibus cognosci gentibus cupiunt: nos, qui scribimus, quae ipsi fortiter clementerque gesserunt, non haec ad longinquas ferri terrarum partes cupiemus? Illi, qui levioribus etiam in artibus occupantur, vehementius ad eam artem incumbunt, non quae patriis contenta finibus incolas tantum utilitate afficiat, sed quae cum artificis laude ad alienos translata omnibus esse gentibus admirationi atque adjumento possit: nos, qui in praestantissimis artibus

occupamur, circumscripta Italorum hominum utilitate ac laude contenti, exterorum utilitatem ac laudem respuemus? Gentes omnes fragilia manuum et corporis opera nationibus omnibus patere cupiunt: nos monumenta animi et ingenii Italis tantum hominibus nota esse patiemur? Videte, ne, ut illis magnum honestatis incitamentum est hoc sperare; sic nobis flagitiosum sit, eamdem utilitatis ac laudis propagationem nec optare, nec velle.

Sed quid ista latinae linguae osoribus effundas, qui nihil agunt aliud, nisi ut paullatim latina scripta, tamquam minus necessaria, hoc tempore negligantur; iisque neglectis, ex quibus omnis latinae linguae cognitio petitur, latinae homines nescire cogantur? Hoc ut praestent, ad latinos ipsos nos provocant, et latinorum judicio latinam ipsam linguam condemnari posse arbitrantur. Ajunt enim, latinos suis tantum contentos litteris graecas despexisse.

Itane vero, Auditores? Ecquis umquam romanus olim graecas despexit litteras, ut nostri modo latinas respuunt et aversantur? Si enim, ut Sigonius inquit, ad civitatem regendam doctrina, si ad rempublicam tractandam disciplinae praecepta paranda essent, ex graecorum ea fontibus, e quibus emanassent, romani homines hauriebant. Quid, quod ii tum vulgo graecas discebant litteras ita fere, ut Majores nostri mox discendas latinas esse putarunt; quod quantum cum ad

discendum, tum ad agendum valerent, non ignorabant? Sed quid ego haec argumentor? quid plura disputo? Quasi vero latini ita sua perfecerint, ut eadem graecis non indigerent. Sane si umquam illi, ut Lagomarsinius animadvertit, suis esse contenti litteris potuerunt, id illa aetate contigit, quae cum Tullium et Virgilium et Horatium aliosque praestantissimos in scribendo viros protulit, tum jure ac merito ab auro nomen accepit. Atqui Tullius ad Demosthenem, Virgilius ad Homerum, Horatius ad Pindarum, alii ad alios ex graecis scriptoribus se contulerunt, iidemque non exemplo modo, sed etiam voce auctores romanis latinisque hominibus fuerunt, ut graecorum scripta diu noctuque sibi esse versanda manu putarent. Videte igitur, Auditores, quo perverso utantur judicio homines tum domestici, tum externi, qui nos ad latinos provocant, ut latinam negligamus linguam, ac tantummodo italam excolamus.

At certe, ajunt, multa graecorum in latinum sermonem romani homines convertebant.

Equidem nescio, an tam multa ea fuerint, quam isti putant, et quam multa sunt ea, quae Itali ex latino in sermonem italicum converterunt. Sed fuerint sane. Quid hoc tandem ad nostram attinet contentionem? An, si quando hoc latini fecerunt, non utilitatem aut suam, aut suorum sequuti sunt, sed graecarum litterarum desuetudinem, vel interitum, quod isti de latinis in italicas convertendis cogitant, inducere

voluerunt? Nonne hac exercitatione illud consequi unum volebant, quod Ciceronem assequutum esse L. Crassus testatur, ut non solum optimis verbis, et tamen usitatis uterentur, sed etiam exprimerent quaedam verba imitando, quae nova essent, et idonea? Quantum igitur ad negligendam latinam linguam valere debet, quod isti dicunt, latinos homines graecorum scripta in latinas voces convertisse? Quasi vero hujusmodi interpretationibus latini Italis licentiam dederint, qua suas tantum colere, latinas vero negligere litteras impune possent.

Saltem, inquiunt, latini non graece, sed latine scripserunt. Cur ergo Itali non italice, sed latine sibi esse scribendum putent?

Latini non graece, sed latine scripserunt? Negat hoc Muretus, qui illud memoriae prodidit, quod paullo ante commemoravi, latinos nempe olim res domesticas graecis litteris, ut a pluribus noscerentur hominibus, tradidisse. Negat Lagomarsinius, qui latinos illos scripsisse graece confirmat, qui se posse id praeclare facere existimarent. Sane graece scripsit Lucius Lucullus, graece T. Pomponius, graece Marcus Tullius, et Acilius, et Aelianus, nonnullique alii graece scripserunt. Qua igitur aut vesania, aut impudentia ducti italicae unius linguae amatores negant, latinos graece scripsisse? Sed esto: latine, non graece scripserint. Quid hoc ad rem pertinere nostram arbitrantur?

Romani latinique homines cum graecorum opes fregerant, imperiumque sustulerant; tum eo spectabant maxime, ut illis quoque litterarum gloriam adimerent. Quid vero huic simile in Italis esse deprehendemus? Scilicet tam bene est italicis rebus, eaque spes affulget, ut nationes exterae latinarum litterarum curam abjiciant, ut impensius italicas amplectantur. Scilicet majores quasdam ab istis, quam ab illis, utilitates se esse consequuturas confidunt. Scilicet italicum ita nomen suspiciunt, ut prae illo latinum, atque adeo suum contemnant. Scio equidem popularium linguarum studium in dies augeri magis et invalescere. At si forte fiat, ut illud aliquando tempus adveniat, quo non plurimum latina valeant, et patrius alicujus gentis sermo sit in latini locum venturus, citius profecto in hac tanta exterarum gentium conluvione, in tam crebra dominorum mutatione, in tam repentinis italicarum rerum conversionibus, quantas et legimus, et audivimus, et meminimus, et vidimus, dediscent potius Itali linguam suam, et peregrinae alicujus exterae nationis loqui sermone incipient, quam ut exteris italicum sermonem gentibus inferre possint. Itaque illud nos optare debemus maxime, ut latinus in Italia sermo vigeat, et, quae sunt omnibus profutura, ea ab omnibus non ignota, sed nota, qualis latina est, lingua perscribantur, atque ad omnium tum locorum, tum temporum longinquitatem propagentur.

Ergo, dicet aliquis, ea lingua relinquenda erit, quae nostra est, quam non ex libris accepimus, sed a natura arripuimus; non a magistris didicimus, sed a nutrice hausimus; non in scholis percepimus, sed in cunis cum lacte ebibimus? Sola igitur illa retinenda, quae aliena est, ac sexcentis e libris et commentariis et praeceptionibus peti a nobis debet?

Non ego id statuo, neque vero id pugno, Auditores, ut italicam linguam ex communi radicitus usu evellam; sed illud contendo modo, ne latinam linguam, quam tot foverunt saecula, ejiciamus, atque in deliciis unam hanc vulgarem habentes illam ab Italiae scholis propulsemus. Vigeat italicus in Italia sermo, qui et copiosus est et commodus et summis praestantissimorum hominum excultus ingeniis atque perfectus: vigeat in omnibus Italiae scholis: vigeat in adolescentibus omnibus, qui ad litterarum sibi comparandam gloriam contento cursu festinant. Verumtamen ita vigeat, ut latino plurimum tribuatur, qui litterariis hominum rationibus est maxime profuturus, sive magnam illi sibi doctrinae comparare copiam, sive eamdem sibi comparatam in conspectum velint publicamque lucem proferre.

Quae quum ita sint, Auditores, quid satis justae causae afferre quisquam potest, cur perverso quodam judicio homines nonnisi patriam suspiciant linguam; latinam vero ita negligant, ac despiciant, ut e pri-

vatis eam publicisque scholis ejiciendam esse arbitrentur? Quid est, cur suo tantum errare periculo non verentes, ingenuos etiam adolescentes in errorem inducere perniciemque conentur? Quid est, cur illos nobis rei litterariae fructus invideant, qui ex latinae linguae cognitione percipi consueverunt? Intelligitis, opinor, Auditores, quos mea haec hodie appellet oratio. Nimirum eos, quos tam perversum occupat italicae judicium linguae, ut eam non diligere satis existiment, nisi latinae omnium judicio gentium probatae acerbissimum teterrimumque bellum indicent. Alii enim ipsam inopem et egentem, alii rudem et impolitam, alii dictu asperam atque insuavem auditu praedicare turpiter non verentur. Nam quid ego facta commemorem? Latini libri ex ingenuorum manibus excutiuntur, ut tantum italici perlegantur, ac praesertim illi, quibus latinae linguae nomen ac dignitas oppugnatur. Impiorum telorum ope, quae ab exteris ministrantur, quamquam illi vitam adimere domestici homines nullo umquam tempore potuerunt, ab ea tamen cruenta quaedam spolia reportarunt. Licet itaque in omnibus fere gentibus vigeat ac dominetur, viluit tamen magno agitata furore illa doctrinarum omnium veluti nutrix lingua; et in ea viluit Italia, ubi quondam imperiorum domina leges orbi universo protulit, et feris humanitatem gentibus invexit. Viluit in Lyceis publicis, in quibus italicis plurimum,

minimum latinis litteris operae jam impenditur. Viluit in plurimorum adolescentum animis, in quibus illa extincta sunt, quae prius fuerunt studia, quorum inflammati ardore ad puros doctrinarum fontes impellebantur. Nam quid ego litteratorum hominum coetus in omnibus Italiae partibus ad recitanda carmina institutos afferam, in quibus aures camoenis italis tantum patent, latinis autem penitus obstruuntur? Quid in medium proferam tot praepostera hominum judicia ac sensa, a quibus minoris certe perfectum quodvis latinum eruditi hominis poema, quam pauca quaedam amatoris inepti carmina aestimantur? Quid lamentis prosequar perversum illum praeposterumque morem interpretandi italice latinos libros, ac praesertim eos, quorum est frequentior in scholis usus, ut latina paullatim scripta, tamquam minus utilia, passim ab omnibus negligantur; iisque demum neglectis latinam homines linguam callere nequeant? Sed pergant porro vesani homines et impii in matrem. Vivit adhuc, aeternumque vivet latina lingua, suisque laeta cultoribus, qui plurimi sunt ac sapientissimi, Theologi nempe et Jurisperiti, Philosophi et Mathematici, Historici et Rhetores omnium optimi, Graeculorum illam contemnet turbam, quae muliebribus tantummodo libris aeque ac amoribus delectatur.

Habetis hoc meum de latinae linguae studio retinendo judicium, Auditores, quod in instituendis pue-

ris publici Lycei hujus doctores consensione unanimi amplectuntur. Propagetur hoc etiam, sic annuant Superi, ad universae Italiae magistros, si vera ac solida puerorum, quos instituunt, utilitate moventur. Propagetur ad omnium discipulorum parentes, quorum multi in Italia etiam perversis hominum abducti sententiis a latinarum litterarum studio suos liberos avocant, vel retardant. Propagetur ad omnes litterarum cupidos viros, quorum licet nonnulli ad oratoris ac poetae laudem contendunt; tamen falsa opinione decepti latina illa exemplaria negligunt, quae Majores nostri, sapientissimi viri, ad imitandum sibi proposuerunt. Vos vero, Adolescentes optimi, quos adesse video, tenete antiquam latinae linguae possessionem, atque in hoc studium toto pectore, ut instituistis, incumbite, si illa comparare vobis litterarum ornamenta cupitis, quae tantam Italiae famam ac decus apud exteras quoque gentes propagarunt. Non enim illi scientiarum patres ac duces, quos omnis suspexit aetas ac natio, tanta modo existimatione florerent, nisi ad latinas addiscendas litteras, à quibus omnis cognitio petitur, tota se mente atque animo contulissent. Quid? Illi ipsi, quos hic adesse videtis, Doctores sapientissimi, quorum conlustramur luce, ac sapientia fruimur, tantane sive in Theologiae mysteriis intelligendis, sive in Philosophiae arcanis penetrandis, sive in Jurisprudentiae ac Medicinae doctrinis pertractandis

laude extollerentur; nisi ab ineunte aetate se illius linguae cognitioni dedissent, a qua homines in matrem impii vos totis revocare viribus enituntur? Neque illi ipsi clarissimi Italorum omnium Oratores ac Poetae, qui vos delectant maxime, quos assidue legitis, quos ad imitandum vobis proponitis, vos magna quadam admiratione perculsos ad sese allicerent, nisi praestantissimos latinorum omnium scriptores assidua pervolutassent manu, rationemque dicendi suam ad eorum conformare exempla curassent. Agite igitur, praestantes ingenio Juvenes: latinae linguae studium retinendum esse censentes omni ad latinas assequendas litteras industria diligentiaque contendite, ut magnam vobis doctrinae copiam comparetis, eamdemque vobis comparatam proferre in lucem conspectumque hominum majori cum utilitate et gloria possitis. Dixi.

DE PUERORUM INSTITUTIONE I.

ORATIO XI.

Nisi humanitas vestra, Auditores, me ex hoc amplissimo dicentem loco superioribus annis erexisset; minime quidem hodierna die de Puerorum institutione mihi esse agendum constituissem. Quid enim difficilius, quid gravius excogitari queat, sive argumenti naturam, sive meipsum spectem, aut ubi, aut apud quos ago, animadvertam? Dicendum est enim, quibus maxime rationibus consuli adolescentibus deceat, a quibus ut a seminibus in agros fructus, sic in civitates felicitas promanare in annos consequentes possit. Quae subtilius quaerere cum mentis vim consiliique postulat magnitudinem, tum artem et ingenium, ut possint omnia strictim commodeque tradi. Ab eo autem tradi, qui licet publicam, quae ad magistros attinet, callere institutionem debet, a privata tamen, quae parentum est propria, quam longissime abest, cum re arduum, tum opinione asperius existimabitur. Quid, quod in ea ci-

vitate dico, quae praeclaram puerilis institutionis formam utilissimis communire legibus nullo umquam tempore recusavit? Vos autem disceptatores sedetis ac judices, quorum bona existimatione magis orator indiget, quam hujusmodi orationis genus sapientia vestra requirat. In publicis enim rebus diu multumque versati rerum usu ac diuturnitate temporis tantam estis adepti auctoritatem, ut consiliis vestris amplissimis fere Patria gubernetur. Itaque vestrum est, Auditores, quid mihi nunc animi sit, cogitare. Qui tamen vestra humanitate fretus, qua me dicentem alias excepistis, ad argumentum propius accedo. Et quoniam pueri ad parentes, ut liberi, ad magistros, ut discipuli, referri debent, duplex mihi pertractanda occurrit institutio; altera, quae ad parentes privatim, altera, quae ad magistros publice pertinere merito videatur. Quemadmodum autem rerum dicendarum copia ac varietas unica nequit oratione comprehendi; ita de liberorum privata solum, quae ad patresfamilias attinet, institutione mihi hodie agendum; publicam vero, quae ad magistros pertinet, in aliud integram tempus reservandam esse intellexi. Habetis omnem consilii mei rationem propositam et explicatam, in qua agitur maximum puerorum bonum, quod praecipuae vobis esse curae debet: agitur familiae vestrae tranquillitas, quam male instituti liberi in discrimen summum adducunt: agitur accepta a Majoribus civitatis

felicitas, quam ex frugifera juvenum disciplina in omnes publicae rei partes manare prudentissimi viri judicarunt. Quamobrem benevolo, quae dicam, animo accipite: non enim mihi plus sumam, quam aut pudor meus, aut vestra humanitas patiatur.

Illud esse regnum florens ac fortunatum, quod civitates habeat optime constitutas; civitates illas porro esse optime constitutas, quae patribusfamilias utatur optimis; eos vero patresfamilias ducendos optimos esse, qui rationes domesticas sic administrent, ut suis maxime liberis consulendum esse arbitrentur, sapientissimi quique viri existimarunt. Hic enim est parentibus a natura ipsa tributus praecipuus ac proprius sensus, ut ad excellentem humanitatis formam instituti liberi paternam quamdam atque avitam virtutis imaginem ad futuri memoriam temporis propagare facile possint. Quis itaque non modum et viam recte liberos instituendi velit ac persequatur? Jam vero, si res omnes inspicere ac vere existimare velitis, omnem rectae institutionis rationem in optimos primum mores, in artes deinde ingenuas conferendam esse reperietis. Alterum enim facit, ut probos, alterum etiam ut excultos quamque ornatissimos liberos habeatis.

Atque ad mores primum quod attinet, Auditores, dicamne, religiosa puerilis institutionis cura non singulorum privata modo, sed publica etiam civitatum studia vehementer incendi atque inflammari? Dicamne,

pleraque, aut certe maxima patrumfamilias officia inculcandae pietatis industria diligentiaque comprehendi et contineri? Dicamne, omnes futurae vitae rationes, ac plerumque etiam fortunas in sedula morum disciplina ita esse positas et collocatas, ut fere illi optimi matura aetate deprehendantur, qui morum optimam disciplinam, pessimam vero qui obtinuerint, et ipsi pessimi agnoscantur? Est hoc sane ita ab omnibus acceptum, ita alte omnium animis insidens, ut nulla aetas, nulla natio, nulla non barbaria intelligat, huc omnes referri cogitationes hominum oportere. Verum, ut libere, quod sentio, dicam, licet hoc parentes intelligant, in errores, eosque maxime noxios dilabuntur. Itaque sic statuo, Auditores: ad rectam in pueris morum disciplinam tria potissimum conferre; parentum optima exempla, sedulam ac prudentem non ferendarum in filiis rerum animadversionem, assiduam eorum, quae ad liberos pertinent, cognitionem.

Parentum optima exempla ad rectam in pueris morum disciplinam conferre compertum ita atque exploratum est, Auditores, ut communis sit ille omnium sensus paterni propemodum officii admonitor, nihil ut liberis proponatur, quod eorum ingenium a virtutis studio retardet; nihil in oculos incidat, quod mentem inquinet; nihil ad aures accidat, quod pervertere mentem animumque possit. Quam enim aliam, nisi hanc unam esse putemus causam, cur illa a liberis arceantur

omnia, quae cum virtute, et cum honestae vitae ratione consentire minus videantur? cur pueris coram praesentissimus pudor improborum quoque hominum impudentiam quibusdam veluti coercendo vinculis adstringat? cur certa ac temperata hortetur parentes ratio, ut, inspectantibus liberis, modesti, ut virtutis amantes, ut vitiorum osores videri cupiant? Recte quidem: in parentum enim imaginem conformantur liberi, qui perpetuo in eorum mores conjiciunt oculos, et, quidquid viderint, accipiunt illico et imitantur. Illa enim aetas neminem plus, quam parentes, amat, aut pluris facit: sic autem inspicit et observat, ut, si illorum sit quamsimillima, se fore optimam arbitretur. Neque enim putaverim, ita multos fore, qui, nulla liberorum ratione habita, ad iracundiam animis effunderentur, qui levitatem praeferrent, qui arrogantiam ac fastum exhiberent, qui superbe, qui contumeliose, qui nequiter vivere non dubitarent. Insana profecto illorum patrum consilia, qui delicati et molles duros atque experrectos liberos velint, qui ignavi ac tardi fortes atque acres cupiant, qui audaces et prodigi timidos atque modicos desiderent, qui in mensas epulasque effusi, ne quid gravius dicam, sobrios ac temperantes exoptent. An vero tam rudes sumus ac rerum omnium expertes, ut illud penitus ignoremus, ipsius dehonestatione corporis, aut ullo alio vitio vel levissimo pueritiam infici ac prope afflari? Quasi vero hoc saepe minime videamus, libe-

ros illos, qui parentes oculis conniventes habent, connivere; qui lingua impeditiore utentes, verba aegrius frangere et impediri; qui palato minus, quam naribus, proloquentes, narium spiritu vocis sonum comprimere; tum fronte, tum supercilio, tum ore toto ritus modosque patrios adhibere. Quid igitur de puerorum animo censendum esse arbitrabimur, cujus tanto facilius in pejus cupiditates feruntur ad imitandum?

Quae quidem cupiditates, si aliquando in pejus ferantur, ea confestim praesto sit non ferendarum in filiis rerum animadversio. Equidem maxime miror, Auditores, quid sit, quod aliquando pueros ad mimicorum motuum scurrarumque vultuum imitationem conversos non modo non invito animo feramus, sed lubentissimo provocemus. Quid enim bonae de illo sperare indolis, aut ominari possis, cujus vel stultitiae, vel levitatis quaedam veluti signa existere illico deprehendantur? Hilaritas, inquiunt, in puero placet ac festivitas. Utinam haec placeret una, Auditores! Sed ne illud quidem displicet, quod puer identidem subirascatur, quod arrogantius se gerat, quod insanius concurset, quod obvios caedat, quod contumacius omnia ad nutum arbitriumque velit. Nam haec etiam spiritus animique gratia a nonnullis laudantur, qui tenerae aliquid aetati indulgendum esse confirmant. At mihi respondeant velim. An tandem aliquid tenerae aetati tribuendum sit, si iracundus nimium, si cerebrosus,

si feroculus puer agnoscatur? Tribuendum esse respondent. An sic etiam indulgendum sit, quum, succrescente aetate, illae quoque cupiditates crescent viresque accipient? Indulgendum esse reponunt. Oh mortalium omnium ipsi indulgentissimi, et liberis suis aliquando tandem fatales, et nescio qua misera ac miseranda rerum perversitate calamitosi! Erit, erit profecto tempus, et illucescet denique ferali lumine illa dies, qua nimirum ipsi indulgentem hanc lenitatem tristi veluti carmine, quod magistrorum etiam saepe auribus personat, detestabuntur. Qui tunc erit animi dolor! quae agitato turbulentis curarum fluctibus pectore erumpentes voces! quae domesticarum rerum, quas convulsas penitus ac prostratas cogitatione ac mente praecipiunt, nullo propemodum pacto sanabilis desperatio! Quum enim acceptis aetate viribus cupiditates crescent, quum sese magis explicabunt et in latiorem quasi campum effundent, quum non inania jam ac levissima, sed graviora et maxime periculosa recurrent animo, quo se tandem leniores isti ac remissiores parentes vertent? Cohibebunt, puto, ferocientis animi in effroenatis liberis impetus, et quod ipsis ac suis olim cupiditatibus tamdiu concesserunt, iis, quae paterna praebet auctoritas, adstringent vinculis ac refroenabunt. O spes fallaces! oh contentiones inanes! oh nimium seri labores, qui, statim ac suscipiuntur, dilabuntur e manibus et evanescunt! Calcitrabunt enim cerebrosi liberi ac fero-

ces, et nulla umquam vincula pueri passi, adolescentiam, aut juventutem adepti habenas ferre indociles recusabunt. Quamobrem vos, parentes omnes, quanta possum maxima compello voce: Si ulla vobis est vitae et jucundae senectutis ratio, si liberorum, si domesticae rei, si nominis vos cura mordet; nolite quaeso, pati, liberos vestros pueritiae cursum inconsulto soluteque conficere, atque in illos temere adolescentiae fluctus incurrere, quibus tandem obruti pereant, et funestam vobis numquam lamentandi satis naufragii labem inurant. Magnis, mihi credite, illud est spatium objectum difficultatibus: multis longeque maximis juventus, ad quam erit citissime perveniendum. Disciplinae insueta atque impatiens aetas, inspectantibus vobis ac frustra vocem et auxilium, quo salvi fiant, suppeditantibus, magnis cupiditatum fluctibus obruetur. Initio statim imperiis vestris, tamquam gubernatori nautae, parere discant, cupiditates frangant, virtutis studio excitentur, honestatis semina amplectantur.

Quod quidem facilius a vobis obtinebitur, si optimis exemplis vestris ac prudenti non ferendarum in filiis rerum animadversioni assidua eorum, quae ad liberos pertinent, cognitio accedat. Itaque hae vestrae potissimum partes esse debent quotidianae ac perpetuae, ùt minime vos ignoretis, minimeque vos lateat, quo ipsorum ingenium ac natura inclinet; ad honestatisne sequendam viam, an a recto ejus tramite deflecten-

dum? quibus ipsi ferantur studiis; iisne, quae pietatem fovent ac religioni favent, an illis, quae virtutem evellunt, ac religionem de medio tollunt? quid ipsi agant; turpene, an honestum? quibuscum ipsi versentur sociis; cum probisne, an cum improbis? Magnum profecto est parentis nomen: at quantum inferat oneris, quis cogitatione assequi, quis oratione queat complecti? Ne quid igitur liberi detrimenti capiant, hae vestrae saepe illorum auribus voces personent: Prospicite vobis, vestrisque diligenter moribus consulite. Eo tantum mentes animosque vestros convertite, quod rectum est, quod honestum, quod cum virtute conjunctum. Nulli vos delectent libri, a quibus pietas ac religio ipsa convellitur. Nolite omnes temere habere socios: amate probos, a vobis improbos removete. Adolescentum, qui mali sunt, colloquia fugite, vitate exempla. Videte etiam atque etiam, ne lenociniis eorum capiamini, quibus in fraudem illicere vos conantur. Circaea ista sunt pocula, a quibus labra si non omni studio removeatis, in belluas, et in illam quidem, quae sordidissima omnium est, convertemini. Syrenarum isti sunt cantus, a quibus si aures vestras exemplo Ulyssis non arceatis, a turpissimis voluptatum illecebris inquinabimini. Syrtes istae occultae sunt, scopulique abditi, ad quos si impingere fatali casu contingat, pudoris vestri naufragium certum ac lamentabile consequetur. His tempestive commoti vocibus liberi, incre-

dibile prope dictu est, quam enixe curent, ab omni ut se periculo removeant, quod vos, parentes optimi, imminere illis animadvertatis.

Sed de morum institutione satis: omnis jam ad ingenuarum artium studia convertenda oratio est, ut non solum probi, sed exculti etiam effici adolescentes possint. Quo mihi loco duo potissimum quaerenda occurrunt: quibus primum artibus, ubi deinde pueri sint excolendi.

Hic mihi expectare videmini, Auditores, ut dicendo proferam, quid de toto Musices et Gymnastices et Architectonices et Picturae genere ego cogitans sentiam, et sentire vos et decernere debeatis. Nolite sane arbitrari, me aut ita severe agere, ut his negem studiis adolescentes esse erudiendos, aut ita parvi res aestimare, ut iis ignorem artibus adolescentiam perfici, aut certe plurimum confirmari. Sunt enim illae ita natura ipsa comparatae, ut in sese boni aliquid excipiant, quare non exiguam queant commendationem jure obtinere. Illud praeterea commodi atque adjumenti adferunt, ut, quum adolescentes nequeant totos solidosque dies in severiori disciplinarum genere detineri, ipsorum animos a caeteris voluptatum inlecebris facile avocant ac reflectunt. Sed de iis artibus mitto verba facere: hujusmodi enim sunt, ut plus delectationis afferre, quam utilitatis, nec magnopere vel ad augendas opes, vel ad dignitatem amplificandam valere animad-

vertantur. Itaque hoc unum statuo: adolescentes, ne illis quidem exceptis, qui in magnifica splendidaque domo educati certissimas habent fortunas in patrimonio amplissimo collocatas, litterarum exerceri studiis debere.

Hoc ut jure a me prolatum esse intelligatis, non ea dicam, quae in pervulgato sermone omnium versantur: multis nimirum contentionibus, quae rem dubiam efficiunt, agitari; plurisne homo nobilis propter genus ac divitias, an minoris propter ingenium rude et inscitiam fieri debeat: nobilitati certe ac divitiis auctoritati plurimum ex comparata sibi doctrina adcedere: domos denique optime constitutas eo brevi aliquando tempore recidisse, ut spes una in liberorum ingenio scientiaque fuerit collocata. Illud tantum quaeram: Quid esse putemus causae, cur parentes ita a natura ipsa propemodum deducantur, ut, quum susceptos liberos ad pueritiam primam perduxerint, eos litterarum statim addiscendarum opinione imbuant, et cupiditate inflamment; nisi naturae humanae ac rationis perfectrices scientiae, quibus illustrantur homines, haberentur, sive ad honestatem et virtutem perficiendam faciant, sive ad prudentiam et consilium confirmandum spectent? Una nimirum est ac certissima, una communis sapientum hominum, una exemplis quotidie confirmata vox, praesidia nempe maxima in litterarum studiis contineri. Haec animos consilio firmant, haec ad praecla-

ra mentes cogitata adducunt, haec ingenia irrequieto gloriae incitamento commovent, et pulcherrima honestatis imagine informant, explent, ac recreant.

Sed quoniam, quibus in artibus sint pueri excolendi, dixi; age jam de loco, ubi litterarum debeant studia persequi, aliqua delibabo. Quaerendum nimirum est, utrum parentes debeant liberos suos privatis doctoribus, an publicis instituendos tradere: qua de re fuit olim contentione acerrima disputatum. Multos enim extitisse novimus, quibus nonnisi privata intra domesticos parietes adolescentulorum institutio probaretur: multos etiam, qui privatae publicam anteferendam esse arbitrarentur. Video, Auditores, in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos: video vos intentos atque in expectationem erectos, quid hac de re sim doctor publicus praedicaturus. Nolite a me multa vos expectare: non enim is ego sum, qui pro eo, quo fungor, munere unam vobis institutionem publicam proponendam esse suadendamque statuam. Dico itaque, discipulorum parentes, quibus nimirum optio vel privatae, vel publicae disciplinae traditur, neque unam privatam, neque unam publicam, sed utramque simul arcto quodam veluti conjunctam foedere debere amplecti. Si enim publicae institutioni privata quoque adjungatur, atque altera ab altera mutuo vicissimque adjuvetur, quis neget umquam, multum sane id ad feliciorem in litteris progressum conficiendum conferre?

Atque hoc quidem cum illa exceptione dictum intelligi volo, ut illa praescriptio et cautio adhibeatur, in eoque sita esse omnia existimentur, ut non solum non contraria, sed ne diversa quidem alia a doctore alio tradantur, et ut privatus ille, non princeps ac dux in instituendo sit, sed veluti quidam administer et comes, et secundarum tamquam partium se actorem esse patiatur. Si enim haec fiant, si domesticus hic suam ad illius publici institutionem accommodet, si discentibus ab utroque eadem inculcentur, si domestici operis et scholastici ratio repetatur, si denique id agatur, ut, quae publicis in scholis puer didicerit, ne ea per negligentiam socordiamque domi dediscat, ita absolutum opus fore censeo, ut nihil ad doctrinam facile arripiendam excogitari utilius fingique possit.

At nos, inquiunt aliqui, privatam tantum et domesticam institutionem eligendam esse arbitramur. Si enim omnia perpendamus, multa esse publicarum scholarum incommoda deprehendemus.

Antequam ad singula progrediamur, hoc modo libeat commemorare, et Persas, et Graecos, et Romanos, et Haebreos, et Sinas, et eruditissimas quasque et humanissimas nationes minime quidem privatos doctores singulis praescripsisse liberis, sed gymnasia constituisse publica, eorumque commodo amplissimis continenter legibus consuluisse. Itaque aut gentes omnes eruditione et humanitate pollentes imprudentes semper

fuerunt, vehementerque errarunt; aut ii, qui privatam solum intra domesticos parietes institutionem probant, minime sane omnia prospexerunt. Sed primum illud non a recto solum rationis lumine, verum a probata etiam tot saeculorum experientia abhorret. Nam et incredibile est, nos a totius fere terrarum orbis exculti consensione decipi, et uberrimi semper e publicis scholis fructus in civitates feliciter redundarunt. Alterum igitur, quod unum superest, nos sentire ac decernere ulla sine dubitatione debemus.

Sed singula, quae in scholas publicas conjiciuntur, crimina audiamus, eaque non accurate minus, quam breviter refutemus.

Publicarum scholarum magistri, ut ajunt, aliquando minime idonei suo satis faciendo muneri deprehenduntur.

Miror equidem, hoc ab iis proferri incommodum, qui scholas regunt publicas ac moderantur. Nonne isti eos deligunt, qui se docendi provinciam velle recipere profitentur? Non illud isti enixe curant, ut ii prae caeteris eligantur, qui earum rerum, quas professuri sunt, scientia praestent, nec vulgari quidem, sed ea, quae in comparatione excellens existimetur? Quod si aetate hac litteris calamitosa aliquando ipsos spes forte fallat, et in magistros illi minus idoneos incidant; videte, quaeso, Auditores, quid sentire nos de privatis tandem debeamus. Nam singulis civitatibus docto-

res certe pauci sufficiunt: at vero nonnisi singuli singulis familiis sufficere magistri queunt. Si ergo pauci, qui scholis sufficiunt publicis, aliquando minus idonei existimantur, quid de multis, qui familiis singulis praeficiuntur, statuendum tandem a nobis erit?

At doctrinae tradendae discipulorum turba obstat, nec perinde ut uni privatus, ita multis totum se impendere publicus doctor potest.

Haec qui jactant, mihi respondeant velim, de quibus hic scholis agant? De illisne, ubi multa multis a doctore eodem traduntur; an de illis, in quibus singulae separatim disciplinae adolescentibus ejusdem ordinis explicantur? Si primum; non minus in scholis publicis, quam in privatis, doctrinae tradendae discipulorum turba obstat. Nam etiam privatus doctor plures in dispari rerum genere pueros, qui quemadmodum aetate, sic et ingeniis et doctrina differunt, instituere plerumque debet. Si vero alterum; quis non intelligat, ibi discipulorum celeriores esse progressus, ubi eadem discentium est institutio, atque una docentis opera praeceptioque consumitur?

Vera haec esse nonnulli publicae institutionis osores confitentur. Sed ajunt, nimis diu in scholis publicis adolescentes versari, et nimis multam aetatem in latinis addiscendis litteris impendi.

Vetus querela haec est, Auditores, quae jam antea ad Italos, qui in re hujusmodi minus ex suo, quam

ex transalpinorum sensu judicant, late olim serpens devenit. Fateor, me exterarum gentium judicium cum multis aliis gravissimisque in rebus magnifacere, tum hoc in genere plurimi etiam facturum, quum auream illam latini sermonis dignitatem, ac Tullianam pristinam dicendi formam et laudem recuperarint, quam plerique viri ex ipsis etiam exteris sapientissimi relictam ac perditam jure dolent. Verum ita se res habet, Auditores, ut nulla docendi ratio ea, qua publice utuntur Itali, commodior adhuc extiterit, nisi eam forte fuisse velint, quae graeculos quidem, non sapientes viros effecit. Hac non ego delectabor sane, nec vos contenti esse umquam debetis, si respondere ad reliqua, et publicae rei, et familiis velle expedire vestris constituatis. Nam litterarum studia celeriter emensi liberi, quid rerum tandem, gymnasiis relictis, domi agent, aut quibus deinde studiis delectabuntur? Librisne operam, an aleae dabunt? In bibliothecis, an muliebribus in cathedris versabuntur? Eruditorum coetus celebrabunt, an spectaculis nocturnis aderunt, an voluptatibus capti detinebuntur, an amorum blanditiis irretientur, an corruptelarum inlecebris deliniti tota passim urbe delibuto capillo, incessu molli, et cultu prope muliebri concursabunt?

Non patiemur, ajunt, non feremus. At quomodo, rogo, a parentibus liberi coercebuntur? Patria, dicunt, auctoritas valebit maxime. Et quisquam hoc

tempore, atque istis hujusce saeculi moribus valituram putet, quum neque aetate grandi, neque rerum usu collecta auctoritas exultantem adolescentiae ferociam comprimere possit ac retardare? At majora addiscendi studio incendemus. Tu ut illos cohortere, qui scientiarum usu paullo jam elegantius exculti tam placent sibi, ut prae se seniores omnes despiciant? Monebis, negligent: objurgabis, contemnent. Conficiam brevius. Quamdiu in scholis versantur liberi, tamdiu cum sibi se pueros esse persuadent, tum etiam pueros haberi ab aliis aequiore animo ferunt. At vero statim ac litterarum cursum confecerint, se viros esse arbitrantur, neque solum haberi volunt, sed, quemadmodum Poeta ajebat, in annos patrios ante tempus inquirunt. Itaque sapientissimam semper illius patrisfamilias vocem existimavi, qui, quum annos quatuordecim in scholis esse liberos voluisset, ac tum demum universo emenso curriculo, et quartum jam lustrum praetergressos domum accersivisset: Quam, inquit, vellem, omnia iterum inchoari possent! Intelligebat enim vir prudentissimus, quid sibi curarum, quid suis liberis otii et periculorum fervida adhuc aetas et consilii expers et quodam veluti jure emerita allatura esset. Videte igitur, Auditores, quid in re summi gravissimique momenti consilii capere debeatis.

Haec de privata, quae ad parentes attinet, puerorum institutione dicenda esse putavi, ut publica,

quae ad magistros pertinet, frugifera esse utilisque possit. Quid enim agant, per vestram vos fidem rogo, quid publici magistri agant, quum in illos incidant discipulos, qui privata institutione minime adjuti, quin exemplo saepe domestico a discendo proficiendoque abducti illis ferendis fructibus sunt inepti, quos, institutione publica accedente, facili negotio gignere potuissent? Quid agant, quum eos adolescentes habeant, quos ita erga liberalia studia affectos videant, ut ad gymnasium, quemadmodum Tullius loquitur, tamquam ad pistrinum aliquod detrudendi, aut ad triremem aliquam sint adigendi? Quid agant, quum se circumseptos multitudine juvenum intueantur, quorum alii docilitate carent, alii pravis affectibus inquinantur, alii, omnium litterarum abjecta cura, vel nihil agunt, vel id unum agunt, ut omnem, si quo per ipsos modo fieri posset, gymnasii ipsius pervertere disciplinam conentur? Accedat privata publicae institutioni: tum gymnasia habebunt probos, tum litterarum amantes adolescentes, tum fructus uberrimos ab iis perceptos intuebuntur. Et sane quam multi in omni tum veterum, tum nostrorum temporum memoria publicis e scholis doctissimi probissimique viri non in Italia solum, sed in omnibus fere Europae regionibus prodierunt! Infinitus profecto essem, si, qui tantummodo tum antiquorum, tum recentum Scriptorum laudibus efferuntur, eos vellem dicendo commemorare. Hoc unum dicam, ad

hanc ipsos et probitatis et doctrinae laudem in scholis publicis pervenisse, quod domesticorum cura et labore illis obtigit, ut optima institutio privata in iis cum publica conjungeretur.

Quae quum ita sint, vos ego alloquor, Parentes optimi, quos liberorum cura dies noctesque angit, vehementerque sollicitat. Audio vestras voces, quas quotidie usurpatis: Utinam, qui instituuntur, liberi a recto numquam virtutis tramite deflecterent! Utinam summos in litteris progressus facerent! Laudandae voces, praedicanda ubique tam nobilia vota ac praeclara. Quid vero prosint, nisi curis vestris magistrorum curas adjuvetis? Optatis liberos probitate morum fulgentes? Praesto sit vobis institutio illa, quae in optimis exemplis vestris, quae in prudenti ac sedula non ferendarum in filiis rerum animadversione, quae in assidua eorum, quae ad liberos pertinent, cognitione contineatur. Optatis liberos quam maxime excultos et ornatos? Praesto sit vobis institutio illa, quae litterarum iis praesidia conferat, et privatam publicae disciplinae adjungat. Concludam paucis. Stulti hominis est existimare, ullum vel in optimis moribus, vel in honestissimis litteris fieri posse progressum ab iis adolescentibus, quibus illi obtigerint parentes, qui, quantum a magistris publicis in conformandis moribus tradendisque litteris curae impenditur; tantum agunt, ut liberorum animi neque rectis moribus, neque honestis litte-

ris a quovis imbui, licet multum conetur, praeceptore possint. Dixi.

DE PUERORUM INSTITUTIONE II.

ORATIO XII.

Facilitas vestra fecit, Auditores, ut de illa Puerorum institutione, quae ad parentes attinet, mihi agendum esse superiori anno arbitrarer: fides mea facit, ut institutionem illam, quae ad magistros pertinet, hodierna die pertractandam suscipiam. Intelligo sane, quam difficili et scopuloso in loco verser, si rem omnem diligenter inspicere, suisque expendere momentis velim. Agitur enim de illa docendi pueros ratione, quae tam multiplex est, tam varia, tam acribus undique doctissimorum hominum contentionibus agitata, ut non modo meam, quae nulla est, sed summorum etiam oratorum eloquendi vim superare facile videatur. Agitur de doctoribus publicis, quos ego maxime vereor, quorumque doctrinam et probitatem tanti facio, ut non modo in illorum opera, quam diligenter ac sedulo in excolenda juventute impendunt, nihil usquam reprehendendum occurrat; sed nihil etiam, quod opti-

mum, quod proficuum, quod laude dignum non sit, mihi ante oculos obversetur. Agitur apud adolescentes ipsos, qui cum publicas in scholas confluunt, tum audire numquam a quovis debent, ne despondeant animum, se male institui; quin etiam putent oportet, sese recto ad sapientiam tramite duci, ut acrioribus in dies stimulis ad eximiam in litteris comparandam laudem incitentur. Quae quum ita sint, Auditores, vos profecto intelligitis, sic mihi esse orationem temperandam meam, ut adolescentibus prosit, et doctores publicos cohonestet, et, ne in tanta rerum, quae se ad dicendum offerunt, varietate infinita sit, certis veluti finibus circumscribatur. Quod quidem me facile praestare posse confido, si nihil hodie dicam, quod rationem docendi novam inducat; nihil, quod omnino pervertat, nihil, quod aliqua etiam ex parte immutet, quae certissimo plurium saeculorum judicio et communi utilitate probata Majores nostri, prudentissimi viri, constituerunt. Itaque ab instituta ac veteri studiorum ratione non recedens ea tantum afferam, quae me et usus plurimus docuit, et multo longior, quam voluissem, in aerumnoso instituendorum adolescentum munere exercitatio. Adeste igitur animis quotquot huc convenistis, Auditores, et rei, quae agitur, pertractationem animis vestris mentibusque mandate. Generatim primum, singulatim deinde de publica hac institutione dicam; ita tamen dicam, ut ea dumtaxat proferam,

quae ad humaniores amoenioresque litteras referantur. Hoc tantum mei muneris ratio postulat: hoc me solum esse acturum recipio: hoc ita solvam, ut, quae generatim de institutione amplectenda pertractanda sunt, ad exponendum hodie aggrediar: quae vero singulatim ad novas quasdam et inusitatas docendi rationes rejicendas attinent, in aliud reservanda tempus relinquam. Quae quidem si ego a vobis, ut confido, non aegre audiri, sed probari sentiam; non solum erit, cur mihi gaudeam, verum etiam cur consequenti deinde tempore rem totam, quam pertractandam suscepi, alacrius et uberius esse mihi expediendam et absolvendam existimem.

Ut paucis omnia complectar, sic ego censeo, Auditores: eam esse optimam institutionem, in qua ita se doctor publicus gerat, ut adolescentes omnes et possint et velint in scholis publicis utilitatis illud percipere, quod a recta docendi ratione manare in singulos pro cujusvis ingenii facultate queat. In hoc maxime doctor incumbat oportet, in hoc praesertim elaboret, in hoc industriam curamque omnem adhibeat, si prodesse omnibus instituendo generatim velit. Hoc si obtinebit, nihil profecto erit, quod praeterea ab ipso sit requirendum, suo cumulate muneri satisfaciet, nec ulla re magis discipulis poterit prodesse suis.

Ac primum qua ratione doctor efficiet, ut singuli adolescentes possint illos ingenii fructus progignere;

qui proficisci a recta instituendi forma consueverunt? Tribus potissimum, ut sentio, rebus: auctorum interpretatione, exercitatione scribendi, severioris Criticae usu, quae non solum in auctorum interpretatione, sed etiam in cognitione eorum, quae adolescentes scribunt, diligenter versetur.

Ad auctorum interpretationem quod attinet: seligat doctor praestantissimos optimaeque notae scriptores: seligat aureae latinitatis fontes, rejectis illis, qui vel leviter undas ex impura origine hauserunt: seligat praesertim Ciceronem ac Virgilium, quorum alter scriptores omnes sive graecos, sive latinos aut omnino vicit, aut certe aequavit; alter vero eam inter poetas omnes dignitatem est assequutus, ut omnium facile princeps jure ac merito appelletur. Neque vero is ego sum, qui putem, aut plures Ciceronis orationes, aut multos Virgilii libros esse intra exiguum unius anni spatium explanandos. Egregie mea quidem sententia hac in re falluntur, ac non sine maxima auditorum pernicie doctores illi falluntur, qui magnum quiddam se praestitisse arbitrantur, quum omnia prope, quae duo isti in sua quique arte principes posteritati mandarunt, ediscenda discipulis proposuerint. Cogitanti mihi saepenumero ac diligenter omnia animadvertenti doctores isti videntur, aut, quos interpretantur scriptores, non intelligere, aut adolescentum, quos instituunt, captum non cognoscere, aut utrumque, quod verisimilius pu-

to, ignorare. Quis enim tam rudis est rerumque ignarus, qui mihi haec ultro ac libens non concedat: multa in his auctoribus saepe occurrere, quae a magistro perlabi celeriter neque possunt, neque debent: multa esse iteranda saepius, inculcanda frequentius, in omnesque partes versanda: immorandum saepe uno in loco diutius esse, eodemque non raro saepius revertendum: unam, vel alteram orationem Tullii, unum, vel alterum Virgilii librum incredibilem magistro, si suam artem perfecte calleat, rerum copiam sufficere, qua et ingenia alantur, et mores componantur, et omnis vitae actio recte atque ordine instituatur? Haec mihi si quis neget, eum ego à docendi munere removendum esse arbitrarer. Itaque interpretationem omnem, quae singulis occurrit annis, una, alterave Tullii oratione, uno, alterove Virgilii libro circumscribendam puto. Neque vero leve, dum ista sentio, doctori onus impono, nec leve discipulis comparo adjumentum. Nam primum eniti magister debet, ut omnia dilucide explicet ac prope oculis subjiciat, nihil ut dissimulet, nihil ut praetermittat, et, quod praecipuum est in interpretando munus, in intimam scriptorum veterum intelligentiam pervadat, eoque secum adolescentes ipsos prope manu deducat. Hinc singula orationis membra dispiciat: hinc diligentius in sententias inquirat: hinc sententiarum quae sit veritas, quae gravitas, qui nexus, qui ordo, quae consequutio, omni perspicuitate

adhibita, exponat. Quod si in sententiis ipsis aut subtilius, aut obscurius aliquid occurrat, ita eas comparationum inlustret usu, ita eas diversis efferat modis, ita in omnem convertat partem, ut illas tantummodo non percipiat, qui similis esse hominis non vidatur. Nec vero ipsa a diligenti doctore negligenda sunt verba, sed eorum vim, sed elegantiam, sed leporem, sed delectum, sed comprehensionem ita persequi debet, ut, qui latino delectantur sermone, latine loqui ac pure eleganterque condiscant. Haec sane non levem doctoris curam laboremque postulant; sed illa magis, quae in ipsarum tractatione rerum versantur, in qua potissimum ea sita institutio est, quae adolescentum omnium attemperetur ingeniis, et futuris uniuscujusque usibus accommodetur. Non enim solum industrius doctor attentos varietate rerum habere discipulos debet, sed eos etiam explanatione earum erudire. Hinc nec leve discipulis emolumentum interpretatione hujusmodi comparatur. Multa enim ex multiplici rerum eruditione, multa ex monumentis historiae, multa ex Romanorum ritibus atque moribus, multa ex diversis muneribus, quae provectiori aetate alia aliis obire adolescentibus continget, multa denique multis de locis colliget, et qua potissimum ratione in unoquoque vivendi genere se quisque gerere debeat, indicabit. Haec sane valde utilia esse, et maxime non ad communem modo, sed etiam ad singularem profectum accommo-

data nemo non videt; praesertim si doctor sedulus ipsarum rerum, quae interpretanti occurrunt, naturam inspiciat, inquirat indolem, vimque omnem perpendat, et illa sibi conquirat ab artibus etiam infimis exemplorum et similitudinum adjumenta, quibus non tam discentium fastidio occurrat, quam ipsorum potissimum utilitati consulat et inserviat.

Satis de auctorum interpretatione: age jam de exercitatione scribendi aliqua delibemus. Nae illi vehementer errant magistri, qui se totos librorum interpretationi dedunt, illamque muneris sui partem negligunt, qua efficere illud enixe debent, ut crebris discipulorum ingenia exercitationibus fatigentur. Atqui non ita docuit Aristoteles, non ita Cicero, non Quintilianus, aliique Rhetores praestantissimi, qui illud praecipiunt maxime, ut adolescentum animi crebriori, quam fieri possit, exercitatione subigantur. Qui sese aliter gerunt, Auditores, plerumque ita e scholis discipulos dimittunt suos, ut non dicam orationem ullam, aut ullum carmen, sed neque ullam perscribere epistolam possint, quam legentium animi ferre queant, et vituperatione risuque dignam non arbitrentur. Non ego quidem huic industriae parcam, nec adolescentes umquam momento temporis cessare patiar: ad scribendum, ac sine intermissione scribendum non in publicis gymnasiis modo, sed in privatis etiam aedibus illos adigam et compellam. Praeclare Soarius inquit: *in praestanti natura*,

quam ars expolivit, absolutionem perfectionemque dicendi exercitatio consumat. Quod sane ita se habere experientia atque usu venire doctor deprehendet, si illud enixe curet, ut discipuli omnes in optimorum Scriptorum imitatione assidue exerceantur. Fieri enim non poterit, ut praeclaram dicendi formam, quam sibi ad imitandum proponunt, ipsi aliqua saltem ex parte non consequantur. Hac via sane eximii illi institerunt Scriptores, qui tantam Italiae gloriam famamque olim pepererunt. Ex hoc numero fuisse novimus Bembos ac Sadoletos, ex hoc Sigonios et Manutios, ex hoc Victorios et Pogianos, Gratianos et Politianos, ac, caeteris missis, Maffejum illum, cujus ita purus sermo est, ita teres ac venustus, ut doctissimi putarint viri, ab eo praesertim latini sermonis peti elegantiam debere, si casu aliquo latinitatis aureae monumenta omnia interirent. Hanc in discipulis si doctor foveat exercitationem cum optimorum Scriptorum imitatione conjunctam, profecto efficiet, ut ipsi possint aliquam sive eloquentiae, sive poeseos, sive utriusque laudem comparare.

Quod quidem facilius obtinebit illo, quem postremo proposui, severioris Criticae usu, quae non solum in auctorum interpretatione, sed etiam in cognitione eorum, quae adolescentes scribunt, diligenter versetur. Nam quod ad auctores attinet, usus hic, quem praecipio, efficit, ut scribendi virtutes, quae singulis insunt, clariori lumine elucescant, atque ita adolescen-

tum oculis subjiciantur, ut eas et mirari et imitari facilius possint. Quod autem ad ipsos adolescentes pertinet, usus idem efficit, ut singula scribendi vitia ita ipsis innotescant, ut ea discipuli, maxima saltem ex parte, in gymnasio ipso deponant, nec secum deferant, ad quaecumque deinde munera, confectis studiis, convertantur. Itaque sollerti cura in singulorum adolescentum scripta doctor inquirat, haec ad acrem censuram vocet, haec attente perlegens animadversionibus numquam parcat. Quum autem animadverterit, probabilem animadversionis suae rationem reddat, ut, quae reprehensa erunt, emendentur, et adolescentes in posterum eadem vitare vitia assuescant. Nec vero ipsis vel defendendi, vel opponendi, vel sciscitandi potestatem deneget, nec quiescat ipse, nec quiescere illos patiatur, donec eorumdem evictus ratione animus conquiescat. Jam vero qui haec saepius iteret, qui inculcet, qui in his immoretur, non video, quare illud, quod in discipulorum institutione expetit, obtinere non possit. Non enim fieri potest, quin, eamdem qui saepius incudem tundat, aliquid tandem extundat.

Atque haec mea quidem sententia sunt, quae illud efficiunt, ut adolescentes possint utilitatem illam ex humaniorum litterarum studio percipere, quae pro cujusvis ingenii viribus optari maximo a sedulo doctore queat. His enim ita instituuntur juvenes ac poliuntur, ut, si qui optimo ingenio praediti excellant, o-

ratores optimi et egregii poetae evadere tandem possint; si qui mediocri polleant, rem vel publicam, vel privatam sua ipsorum mediocritate juvent; si qui rudi laborant, neque rudes omnino sint, neque propria in patria hospites ac peregrini, neque omnibus omnino usibus inutiles; sed aliquo formati modo e doctoris ludo edomitique discedant. Itaque fiet, ut, humaniorum confecto litterarum curriculo, alii alio diffluentes sic abeant, ut sive ad graviores disciplinas addiscendas, sive ad publica, sive ad privata obeunda munera se conferant, quantum cujusque patietur facultas, vel prorsus idonei, vel saltem non omnino inepti reperiantur.

At enim quispiam dicet: quid institutio vel optima illis prosit adolescentibus, qui ad litterarum studia non cupiditatem ac sitim, ut fieri oporteret, sed fastidium ac satietatem afferre secum videntur; qui ab omnium librorum lectione abhorrent; qui aut equis, aut gladiis, aut fidibus delectantur; qui totas noctes in alea choreisque consumunt, et voluptatum inlecebris blanditiisque capti litterarum studia litteratosque viros contemnunt?

Ego vero, Auditores, si qui hujusmodi juvenes reperiantur, qui ad publicas scholas confluant ita corrupti ac perditi, ut de mutanda in illis ratione vitae sit omnino desperandum, eos a caeteris evellendos, et e litterario ludo dimittendos semper existimavi. Nullus enim ex iis fructus percipi umquam poterit: maxi-

ma vero ex iis in alios bene moratos juvenes manare damna consueverunt. Sed qui lenti sunt, qui tardi, qui in studiorum laboribus remissi, neque ita vitiis implicati, ut ad virtutem revocari industria ac diligentia nequeant, ii quidem sunt excolendi: hoc nempe optima efficere institutio debet, ut non solum ipsi possint, sed etiam velint utilitatem illam percipere, quae pro cujusvis ingenii viribus a recta docendi ratione manare in singulos queat.

Hanc autem ut velint utilitatem percipere, quibus potissimum artibus utetur? Pietatis studio, aemulationis ardore, laudis praemio. De singulis quam brevissime dicam.

Pietatem quum nomino, virtutem illam intelligo, quae ad omnia praestanda, quae Deo, quae parentibus, quae patriae ipsi debemus, adolescentum animos mentesque impellat. Hanc autem magistri doceant, hanc saepissime inculcent, hanc in animos indere discipulorum contendant. Itaque omnis illorum conatus eo spectet ac referatur, ut illa discipulis subsidia conferant, quae ipsam pietatem foveant, in diesque magis amplificent. Illud enixe curent, ut a teneris annis adolescentes cum litteris homine christiano dignas virtutes imbibant. Hoc pro viribus enitantur, ut iis non tam bene dicendi, quam bene vivendi vias commonstrent; ut quantus sit in virtute splendor, quanta in vitiis deformitas, patefaciant; ut illa ostendant o-

omnia, quibus qui semel penitus instructi sint, et a vitii turpitudine omni studio refugiunt, et officii honestatisque rationem rebus aliis omnibus anteponunt. Quae quidem altissimis defixa radicibus diu manebunt, si vel magistri ipsi, vel studiorum omnium moderatores quaedam pietatis opera constituant, quae a litterarum cultoribus stato tempore peragantur. His adjumentis praeceptores reddere bene moratos juvenes conentur, ut non modo illi a recto virtutis tramite non recedant, sed etiam velint eos in litteris processus facere, quorum gratia tot a nobis labores ac molestiae suscipiuntur. Si enim bene morati sint adolescentes, si virtutis insistant semitis, si pietatem colant, nolle profecto ipsi non possunt satis illis muneribus facere, quae a Deo, quae a parentibus, quae a patria sibi esse imposita animadvertunt.

Pietatis studio aemulationis ardor succedat. Haec, Rinaldus inquit, admirabilem illum studiorum aestum succendit, quo fervente ingenia explicantur, frigescente torpent et contrahuntur. Haec, Hesiodus ait, a Jove ipso in terrae radicibus collocata est, ut humanum genus ad opus illud accendat, quod in quavis ratione agendi praestantissimum judicetur. Haec a Quintiliano ita praecipitur et commendatur, ut ipsam acriores subdere ad studia faces, quam et assidua doctorum monita et sedulam parentum curam pronuntiarit. Quis enim locus Musis ac Minervae artibus liberalissimis usquam

patuit, in quo si aemulatio assideat, tamquam custos aut monitor, non prospiciat sedulo litterarum decori et ornamento, et quos homines iis veluti sacris addictos invenit, non iis quodam blando invitamento praedicet, pulchrum esse de palma semper acriterque contendere, non cedere paribus, majores vincere, classem ducere, ac principe in loco ceu Dictatorem aut Regulum collocari? Instituantur itaque a doctore publico quaedam veluti inter ipsos discipulos concertationes, in quibus et memoriae et ingenii et doctrinae et diligentiae periculum sit faciendum. Ad certamen moveant aliqua, tamquam bellica, litterariae virtutis vel incitamenta, vel signa: moveant illi Poenorum leones: moveant illae Romanorum aquilae: tum quasi vocantes tubae: tum vexilla, quae parietibus pendeant: tum coronae, quae victorum capiti velle accedere videantur. Interea prodeant ex adversis partibus aliquot, tamquam pugilum, paria, in mediamque arenam descendant, acriterque pugnent. Nec mora, pugnae signum detur: confligatur, recitetur, scribatur, explicetur. Quae linguae statim erit in dicendo celeritas! quae mentis in scribendo attentio! quae ingenii in interpretando contentio! Ut se decertantes pueri victuros confident! ut, si non vicerint, non esse vincendos tamen sperabunt! ut victores laetitia exsilient! ut pudebit victos! qui tamen rursus infestissimis armis pugnare volent. Stabit enim aut gloriose vincere, aut honeste cadere. Itaque

iterum vir viro haerebit, pes pedi accedet, manus manu conseretur, ac tanto res omnis ardore animi geretur, pulvereae ut nubes tum supplosione pedum, tum agitatione corporum tollantur. Hos videlicet ludos tam lepidos tamque rei litterariae utiles aemulatio edit ac nutrit: quos ubi doctor animadvertat, tamquam bonus imperator, suorum virtute rebusque gestis vehementer laetatus receptui cani imperet, et victoribus victisque simul addens animos ad aciem omnes ac pulverem deinde revocet, atque idem toto anno perpetuus sibique succedens aemulationis ardor contentioque servetur.

Quod sane fiet, si cum aemulationis ardore laudis praemium conjungatur. Qua in re ne forte aliquis in adolescentum animis ad praeclara quaeque incitandis subrepat error, non ea quidem laus intelligatur, quae ipsos ferociores, quae suarum tantum rerum admiratores, quae alienarum contemptores reddat, quae fastum alat, quae invidiam nutriat, quae caeteras litteratorum pestes progignat; sed eam, quae ita juvenum animos moderatur ac regit, ut quasi lenocinio quodam incitati, tamquam generosi equi, studiorum alacrius cursum prosequantur; eam, quae non Athenis solum, sed etiam in Latio ita veteres illos succendit viros, ut se suasque artes ad summum gloriae dignitatisque culmen erexerint; eam, quae litteras barbararum gentium colluvione extinctas ad vitam demum, apud italos praesertim homines revocavit; quae Gallos ita corripuit,

ut quae gens nullas antea litteras noverat, nunc in omni litterarum genere cum maxime excultis nationibus de dignitate contendat; quae Anglos, quae Belgas, quae Germanos, aliasque gentes ab illa veteri tam inculta agrestique vita sic vindicavit, ut in agris illis, qui sentibus usque vestiebantur, hujusmodi proferrentur fructus, qui non domesticis modo, sed hominibus quoque exteris prodessent. Haec ea laus est, qua uti prudens ac sapiens doctor debet, ut adolescentes illius deliniti inlecebra ad praestantissima quaeque incitentur, et ad egregia et ardua vel suscipienda, vel conficienda impulsi ad liberales excolendas artes omnibus industriae nervis toto anni spatio alliciantur.

Itaque, ut omnia, quae sentio, dicam, si quem apud Romanos Consules receptum vulgo fuisse morem accepimus, ut quum, exeunte anno, Magistratu abirent, in frequentissima populi concione res in Senatu praeclare gestas, reipublicae vices, et parta eidem decora atque ornamenta, quibus illius anni memoria apud posteros celebranda esset, oratione commemorarent; is apud Academias etiam, caeterosque doctorum hominum coetus invaluisset, ut, quemadmodum in studiorum instauratione ad liberales artes excolendas excitari juvenes solent; sic quaecumque litteratis viris, atque ipsis etiam adolescentibus felicia ac laeta accidissent, vertente anno, praedicarentur, egregie id quidem ad erigendos inflammandosque animos valeret. Sed ita fie-

ri fere videmus, ut, quae maxima alacritate studia suscipiuntur, eadem seu fatigatis diuturna contentione animis, seu fractis nimio aestu corporibus, defervescant paullatim et concidant; quaeque sub anni initium gestire quodammodo ac triumphare litterae videbantur, eaedem sub anni exitum proferre vix audeant sese, ac langueant sensim, ac tandem penitus obmutescant. Verum longe alia est Lycei nostri conditio. Quod enim maxime optandum est ac providendum, ut etiam sub anni exitum laudis praemium industriis ac navis adolescentibus deferatur; id sane illis prospero quodam Moderatorum consilio contingere merito gratulamur. Nam praeter illum veluti Magistratum, praeter illa veluti virtutis bellicae insignia, praeter illa veluti principatus decora et ornamenta, quibus totius anni spatio praestantissimi omnium cohonestari adolescentes solent; quod laudis praemium in hac tam bene constituta Athenaei nostri ratione optare, exeunte anno, iidem possunt, quod cumulate ipsi non consequantur? Est hic illarum rerum praedicatio, quae laetae litteris et adolescentibus totius anni curriculo acciderunt. Sunt hic palam proposita munera, quae singulis vel Principatus, vel Magistratus, vel virtutis bellicae ornamenta gerentibus inter plaudentium juvenum voces et gratulationes deferuntur. Sunt hic gravissimi viri, qui eadem praebentes munera adolescentum exercitationes, ingenium, industriam, atque ornamenta omnia publicis ornare lau-

dibus non dedignantur. Quae quidem a me dicta esse intelligatis velim, Auditores, non quod solum existimem, hujusmodi laudis praemio ad laborem et industriam discipulos omnes excitari; sed quod etiam putem, magnae vobis curae esse, magnoque studio adolescentum in litteris progressum hac a vobis ratione provehi et amplificari.

Haec sunt, Auditores, quae optimam illam institutionem constituunt, qua tandem aliquando fiat, ut adolescentes omnes et possint et velint utilitatis illud in scholis publicis percipere, quod a recta docendi forma manare in singulos pro cujusvis ingenii ratione queat. Ut ipsi possint, efficiet auctorum sedula interpretatio, scribendi recta exercitatio, severioris usus Criticae, quae tum in auctorum interpretatione, tum in cognitione eorum, quae adolescentes scribunt, diligenter versetur. Ut ipsi velint, efficiet pietatis ardor, aemulationis studium, laudis praemium. Haec a me hactenus declarata sunt omnia, ac propemodum demonstrata. Si qui autem sunt, qui plura a me dici velint, morem ipsis libenter gero: ad experientiam provoco, effectus affero, ut non modo meliori in lumine, qua de agitur, res collocetur; sed etiam ut sapientissimi viri, qui nostra moderantur studia, ut doctores publici, qui me circumstant, ut adolescentes optimi, quos adesse video, debitis eorum curae industriaeque laudibus honestentur. Igitur oculos convertant suos ad hoc Firma-

num Lyceum, in quo optima illa, de qua hactenus egi, institutio floret, diligenterque servatur. Viguit hic enim in dies magis eloquentia illa, quae in optimo quoque suam saepe vocem emisit, et modo litterarum praestantiam, modo praeclaras animi colendas dotes, modo eximias hominum virtutes ornandas celebrandasque suscepit. Viguit poesis illa, quae licet solum latio in scholis publicis fere semper incessit syrmate, itala tamen hos intra parietes prodivit palla, dulcique animos musarum cantu delinivit. Viguit optimorum Scriptorum lectio et imitatio, qui non privatim modo, sed etiam publice in italicum sermonem versi nativum decus nitoremque suum retinuerunt. Haec illi aspiciant atque attente recolant, qui ejus, quam proposui, institutionis fructus contemplari animo paullisper velint. Vos autem, Adolescentes optimi, ea omnia iterum praestare pergite, quae vestris suppeditare vos magistris decet, quorum frustra susceptus foret in vobis erudiendis labor, nisi vestra illa adcesserit diligentia, sine qua cum omnibus in rebus, tum in nostris praesertim studiis omnis omnino profectus est desperandus. Dixi.

DE PUERORUM INSTITUTIONE III.

ORATIO XIII.

Emersus ex iis, quae generatim de Puerorum institutione dicenda esse existimavi, ad illa venio, Auditores, quae singulatim mihi in inusitatas quasdam nonnullorum hominum disciplinas intuenti occurrunt, quaeque me acturum, omni qua fieri diligentia potest, recipio. Qua quidem in re quum omnia satis intento animo diligenter inquiram et expendam, quod olim de M. Catone a Tullio dictum legimus, eum, quamvis optimo animo ac summa fide uteretur, tamen nocere interdum solitum esse reipublicae, quod tamquam in Platonis politia, non tamquam in Romuli faece sententiam diceret; hoc mihi recte convenire posse videtur in quosdam hujusce aetatis homines, egregie illos, ut arbitror, in litterariam rem animatos ac vehementer de ejus commodis ac dignitate sollicitos, sed qui nova quaedam et inusitata in studiorum ratione optimisque disciplinis tradendis sequuti rem omnem in eum

locum adducunt, ut, in quo prodesse litteris atque adolescentibus nimium volunt, in eo maxime noceant, eorumque commodis adversentur. Atque ut de caeteris mittam hodierna die verba facere, hujusmodi esse illos homines censeo, qui a magistris publicis eo tantum curas contentionesque suas referendas esse contendunt, ùt vel oratores summos, vel egregios poetas, vel utrosque etiam instituendos sibi formandosque proponant. Quod quidem quum ego intelligam non solum publicis Italiae scholis italisque doctoribus, verum etiam litteris et juventuti maxime infestum, rem totam ad vos tamquam ad aequissimos quosdam judices deferendam, et a me veluti ab actore quodam refutandam esse ex hoc amplissimo ad dicendum loco putavi. Si qui autem hic forte adsunt, qui vel sua opinione, vel aliorum auctoritate permoti cum perniciosae institutionis propugnatoribus sentiunt ac judicant, peto ab iis, ut ea, quae dicam, audire attente diligenterque velint: confido enim, hoc si praestent, non modo eos nobiscum esse sensuros ac judicaturos; sed etiam perfugas ex adversariorum praesidiis in nostra castra venturos.

Sed antequam ad eam orationem venio, quae est propria nostrae contentionis, duo mihi statuenda esse videntur, quorum unum ad magistros, ad discipulos alterum referatur, ut, omni errore sublato, plane res, quae agitur, intelligatur.

Atque ad magistros quidem quod attinet: quamquam ego novam illam, quam proposui, institutionem rejiciendam censeam; illud tamen statuo, magistros nempe omnes enixe curare debere, ut nulla iis in parte desint adolescentibus, qui ea sunt cupiditate incensi, qua ad excellentiam in oratoria et poetica arte assequendam inflammato studio rapiuntur. Si enim adolescentes hujusmodi illa afferant, quae ad utriusque perfectionem comparandam artis requiruntur, et muneri deessent suo, et male juventutis commodo doctores illi inservirent, qui ita sese remisse agerent, ut qui juvenes in hujusmodi artibus eximios facere progressus possent, ab iis magistrorum culpa retardarentur. Quid igitur est, quod ab industriis navisque doctoribus expetendum requirendumque putem? Nimirum ut non perinde instituant adolescentes quasi tota in artibus oratoria et poetica consumenda sit istis vita, atque hac una ratione patriae civibusque suis sint profuturi. Si enim doctores publici eo tantum conatus contentionesque referunt, ut e ludis suis oratores eximii poetaeque prodeant, ipsi profecto longe a recto docendi tramite non sine maximo juventutis damno recedunt. Discipulorum nempe omnium a praeceptore optimo diligenter est habenda ratio, illudque maxime providendum, ne, quum aliquibus prodesse cupit, caeterorum commodis valde noceat: noceret autem valde, si, quam improbandam viam censeo, eam sibi suscipiendam esse putaret.

Ad discipulos autem quod pertinet, eos monitos etiam atque etiam volo, non eo meam hodierna die orationem spectare, ut eloquentiae ac poeseos studia negligenda esse arbitrentur. Aliud est enim oratoriae et poeticae artis excellentiam assequi: aliud illa sibi comparare praesidia velle, quae ex utriusque studio fere percipi consueverunt. Illud quidem esset magnopere vehementerque optandum: at, si de maxima discipulorum agatur parte, est omnino etiam desperandum. Alterum vero non optandum modo, sed sperandum quoque nobis occurrit: optare enim debemus multa illa consequi, quae ad omnem vitae usum necessitatemque peti ab utraque arte adjumenta possunt: sperare autem, ea nos facile consequuturos, quae a plerisque discentibus percepta sunt. Statuo itaque, adhibendam esse a doctore publico et idoneo, qui oratoriam et poeticam artem tradit, quamdam veluti moderationem, quae adolescentibus omnibus prodesse possit. Nego autem, hac moderatione adhibita, adolescentes ipsos earumdem artium debere studia negligere ac fastidire. Quid enim hoc esset aliud, quam illa tradendi artes ratione, quae communis utilitatis gratia constituitur, ad perniciem propriam judicio sane praepostero ac perverso abuti?

His a me positis ac declaratis, dico, a magistris publicis novam illam rejiciendam esse institutionem, quae oratores tantum poetasque eximios formandos sibi proponat. Qui enim hanc doctor incautus amplecte-

retur, is male quidem maximae juventutis parti, male gymnasiorum decori atque famae, male privatis publicisque commodis inserviret.

Atque, ut illud, quod primum posui, videamus; si nova haec atque inusitata docendi ratio invalescat, quis demum ex tanta discipulorum copia, quam instituendam rhetoricis praeceptionibus doctores suscipiunt publici, aut orator probabilis, aut poeta, qui vere musis faventibus canat, existet? Elaborabunt, opinor, magistri omnes, ut nobilissimarum, quas docent, artium nec ignari sint, nec habeantur: dabunt quoque operam, ne in iisdem tradendis artibus umquam remissi ac lenti inveniantur, nec vigiliis parcent, nec laboribus, ut suo pares muneri deprehendantur. Verum haec doctorum in hisce studiis collocata industria, et in suscepto obeundo munere diligentia et alacritas efficiet quidem, ut ipsius functio muneris futura ipsis facilior sit; sed non certe artium, quas tradit, difficultatem penitus imminuet. Si enim ars in primis oratoria inspici attentius velit, quid est, Auditores, rogo, cur plures in omnibus rebus, quam eadem in arte admirabiles extiterunt? Eloquentia nimirum, Tullius inquit, majus quiddam est, quam homines opinantur. Ad eam comparandam et celeres ingeniorum motus, et ad excogitandum acuti, et ad ornandum uberes, et ad memoriam diuturni ac firmi requiruntur. Quae et quanta ista sunt, Auditores, ad elo-

quentiam praesidia, et quam paucis a natura largè donantur! Quid vero de arte poetica aut a me dici, aut existimari a vobis debet? Haec enim non celeres illos tantum ingeniorum motus, quos in oratore Tullius requirit, sed quamdam etiam animorum inflammationem, et quemdam quasi afflatum furoris postulat, sine quibus adjumentis negarunt Plato ac Democritus, quemquam bonum evadere poetam posse. Jam vero qui doctor publicus haec attente consideret, sibique serio proponat, poteritne maximae adolescentum parti inservire, si eo tantum curas contentionesque referat suas, ut vel egregios oratores, vel summos poetas instituendos sibi efformandosque putet? In quo enim adolescente erunt oratorii illi ingeniorum motus acerrimi, qui ad eloquentiam necessario a Tullio requiruntur? In quo animorum illa inflammatio ac divinus quasi furoris afflatus quidam, sine quibus poesis omnis inanis est et irridenda? Si haec plerosque deficiunt, ut certe deficere experientia docet, nonne frustra a doctore publico suscepti labores erunt, si discipulos omnes eo velit conatu irrito adducere, quo vix unus et alter, paucissimi sane sunt perventuri?

Haec de maxima juventutis parte: quid de gymnasiorum decore ac fama dicam? Hac enim inusitata ac nova a magistris publicis institutione recepta, quid ipsi agent? quo sese tandem convertent? An discipulos, qui ad oratoriae ac poeticae artis excellentiam

pervenire nulla ratione queunt, quam quidem esse maximam eorum partem animadvertimus, e scholis publicis dimittent? An nova illa docendi ratione instituent, in suisque ludis retinebunt? Si primum dicant; ergo ipsi eo sese more gererent, quem apud Doctorem illum Alabadensem Apollonium fuisse accepimus, ut, quum mercede doceret, apud se diutius esse adolescentes illos non pateretur, de quorum in ea, quam tradebat, arte excellentia desperaret, et, ne incassum tempus in iis erudiendis consumeret, alios ad alias artes, in quibus aliquid proficere suo judicio possent, impelleret atque hortaretur. Atqui si hoc ipsi more uterentur, rem omnem cito transigerent, atque a tanta auditorum multitudine, quanta saepe propemodum opprimuntur, facili se negotio protinus expedirent. Paucis enim retentis, reliquisque aliis dimissis, et ad quamcumque artem impulsis, ad quam eos aptos arbitrarentur, momento temporis celebritati vastitas succederet, ac discipulorum frequentiam muta undique exciperet solitudo. Quae vero hinc in gymnasia publica infamiae labes redundaret! Quis enim hoc probare posset consilium, ut, qui ad aliquam aliqua in arte excellentiam pervenire nequeant, continuo sint e scholis publicis dimovendi, atque in alias artes amandandi? Sunt enim in disciplina quavis sui veluti gradus, in quibus pro suo quisque ingenii modo, quamquam evadere ad summum nequeat, consistere tamen haud

indecore queat. Itaque licet discipuli omnes ingenio illo non polleant, quo ad summum aliquem alicujus facultatis gradum pervenire enitendo possint; retinendi tamen sunt, atque ad privatum non solum, sed etiam ad commune bonum et commodum a doctore sedulo instituendi. At si omnes a novae hujusce institutionis propugnatoribus in suis retineantur ludis, ut retineri profecto tamquam ex pacto conventoque debent, videant, quaeso, magistri publici, cujusmodi sint auditores in scholis suis habituri. Quum propter novam institutionis formam receptam nihil ipsi intelligant, nihilque discant, desides erunt et inepti et otiosi et garruli, qui litterarum omnium abjecta cura id unum agent, ut gymnasii leges pervertere disciplinamque conentur. Qua vero publicae late scholae apud omnes civium ordines infamia flagrabunt, quum in iis non alacritas, non contentio, non aemulatio vigeat, sed torpor, sed ignavia, sed otium regnet, et erumpentes in omne malum facinus cupiditates quodammodo dominentur! Itaque nova haec institutionis ratio gymnasiorum decori et ornamento adversatur, sive in iis retineantur, sive ab iis dimittantur adolescentes illi, qui excellentes fieri, in quibus traduntur artibus, nullo modo possunt.

Quid vero de privatis publicisque commodis a me dicendum postremo putem? Quid enim tanti emolumenti queat ex oratoriae et poeticae artis excellentia

percipi , ut utrique unice magistrorum referri conatus debeant? Obmutuit jamdiu eloquentia illa vetus, quae romani regina fori et animorum domina tantas olim tragoedias victrix excitabat. Jamdiu contentiones illae atque lites, quae olim voce et actione agebantur, scriptis tantum ac tabulis transiguntur. Jamdiu judices quieti sunt et pacati, quibus commotis olim et concitatis ubique gentes utebantur, et quantum ratio aequitasque patitur, non quantum vetus expugnatrixque judicii eloquendi copia extorquebat, constituitur modo ac definitur. Quamquam autem aliquid hujusce oratoriae vis contentionisque adhuc in oratoribus, qui sacri sunt, perseverat ac superest; eloquentia tamen non amplius honoribus honestatur illis, quos amplissimos quondam consequebatur. Quae quidem si de eloquentia vere dicuntur, multo etiam verius dici de poesi possunt. Etsi enim haec a pluribus excolatur; nullum tamen fere, si voluptatem delectationemque excipias, suis cultoribus commodum utilitatemque progignit. Oh vere miseros ac miserandos poetas! Quamquam eos Platonicus ac Democraticus ardor inflammet, ut algent tamen! ut contremiscunt! ut nihil umquam ex animorum inflammatione percipiunt, quo algorem excutiant suum, et aliquando tandem calefiant! Sed haec, licet multum sint apud aequos rerum aestimatores habitura ponderis, omittantur. Illud potius a vobis quaeram, Auditores: quid tandem agent discipu-

li, quum, emenso studiorum curriculo, a gymnasiis publicis recedent? An ipsi rhetores fient? an oratores? an poetae? an sibi viam ad cathedras patefacient, ut in illustri lyceo aliquo ab affusa ingenuorum juvenum turba, quae humaniores discere gestiat litteras, circumfundantur? Scio equidem, nonnullos esse, qui ubi e scholis excesserint, sese magistros publicos profitentur; sed hujusmodi homines paucissimos esse animadverto. Maxima igitur discipulorum copia, gymnasiis tandem relictis, ad alia sese convertit munera, aliasque vitae rationes sibi ineundas esse arbitratur. Hic rem privatam curat, ille publicam moderatur: hic profana amplectitur, ille suscipit sacra: hic a graviori aliquâ disciplina, ille ab arte quadam mediocri sibi lucrum parat: hic denique domestico in lare pacis otio perfruitur, ille ad aciem, ad solem, ad pulverem cito properans belli rumoribus delectatur. Quis igitur in tanta munerum varietate, ad quae sese tandem adolescentes vertent, non plane videat, quam male privatis publicisque commodis illi magistri inserviant, qui eam censent eligendam esse institutionem, in qua ratio tantum illorum juvenum habeatur, qui oratores summi poetaeque egregii efformari excolendo possint?

Quaeret hic fortasse quispiam: qua ergo docendi forma ac ratione uti magistri debeant? Equidem libere pro ea, qua estis humanitate praediti, Auditores,

sic praecipio: doctores publicos ea uti institutione debere, quae adolescentem neminem a profectu aliquo secludat, quae animum infirmioribus addat, quae denique ad utilitatem omnium referatur. Quis autem doctor publicus hanc docendi formam rejiciat, quae cum neminem a qualicumque in litteris progressu arcet, tum omnium emolumenta respicit, et bono non privato solum, sed etiam publico inservit? Non ego sane, qui rationem omnium discipulorum habendam censeo; propterea quod ut in seminibus posita spes messis est, sic in pueris non privatae modo, sed publicae etiam rei omnis est felicitas collocata. Huic etiam doctores omnes insistant viae, si maximae juventutis parti, si gymnasiorum decori atque famae, si privatis publicisque commodis sibi consulendùm esse arbitrentur.

Neque vero est, cur a me ipsi petant, in quo tandem ejus, quam praecipio, institutionis ratio versetur. Satis haec a me in superiori, quam habui, oratione explicata fuit ac declarata. Hoc brevissime tantum dicam: in eo maxime doctores omnes debere incumbere, ut in multiplici optimarum rerum genere quamdam quasi formam discipulorum animis, quantum eniti dicendo possint, sic imprimere conentur, ut impressa permaneat, et numquam effluat ac dilabatur, et ex ea, quum postulabit usus, quidquid libuerit, iidem exprimere non difficulter possint. Si quis vero illà veluti in-

strumenta quaerat, quibus uti nos debemus, ut hanc tamquam formam discipulorum animis imprimamus; illa ipse recolat, quae de accurata auctorum interpretatione, de assidua recte scribendi exercitatione, de Criticae severioris usu superiori a me anno prolata sunt. His tribus veluti instrumentis quidquid hoc opificii est doctores publici conficient optime ac perficient: modo illud curent, ut pietatis ardore, aemulationis studio, et laudis praemio adolescentes omnes ad egregia quaeque impellantur. Hoc demum est institutionem ita moderari ac temperare, ut omnium commodis serviatur: hoc est eam docendi rationem sequi, quae in excolendis discipulis illud sibi potissimum proponit, non ut oratores poetasque egregios efficiat, sed ut cives ad privatum publicumque bonum idoneos et accommodatos efformet. Si hoc doctores publici assequantur, si hoc ab illis adolescentes capiant, alacriter isti ad quamcumque se disciplinam, munusve quodlibet conferant, illudque fore confidant, ut et in illa pro ingenii modo proficiant, et hoc saltem ratione aliqua tueantur.

At enim supervacaneum omnino est ad humaniores addiscendas litteras adolescentes impellere, si egregios oratores et poetas in hujusmodi studiis efformandos esse non putamus.

Quasi vero, Auditores, non illud ostenderim, tunc frustra a doctoribus publicis labores suscipi, quum discipulos omnes eo velint adducere, quo vix unus et

alter, paucissimi sane sint perventuri. Quasi vero experientia atque usu non edoceamur, nihil ferme certi tandem emolumenti ex utriusque artis assequutione percipi vulgo posse. Quasi vero non ea sit praeferenda docendi ratio, quae non paucorum, sed omnium adolescentum bono, et non privatis tantum, sed publicis etiam rebus prodesse queat.

At inquiunt, hoc adolescentum bonum, ac privatae publicaeque rei commodum ex humaniorum litterarum studiis nullo percipi modo posse. Quid enim, rogant, quid poetarum fabulae, aut aliquot levia poliendae orationis praecepta, quae tradi in gymnasiis solent, ad privatum publicumque bonum conferre valeant?

Qui sic agunt, profecto ignorant, Auditores, nullius operam rei privatae ac publicae minus esse utilem, quam eorum civium, qui se humaniorum litterarum studiis minime umquam exercuerunt. Quod si cui forte dubium esse possit, recolat animo praefecturas vel militares, vel urbanas, in quibus interdum offensiones plurimae concitantur, quum saepe accidat, ut, qui praesunt, ne verbum quidem loqui unum in conventu possint. Recolat legationes gravissimas, quae de publicis mittuntur rebus, in quibus propter bene loquentium hominum paucitatem plerumque fieri animadvertimus, ut aliis mandata dentur, ab aliis vero alia exponantur. Recolat consilia publica, in quibus

saepe vel de salute, vel de utilitate communi cons tationes incidunt; saepe quaerendum de more insti toque Majorum; saepe agendum de propulsandis in riis, de dignitate vel conservanda, vel amplificand de rebus denique maximis, cum periculoque conju ctis, in quibus recte se gerere nemo possit, qui eloquentia aliquo saltem paratus modo non acced. Haec publica sunt: quid privata? Est hic saepe (jurgandus, ille admonendus: hic inflammandus, i moerens a malorum cogitatione abducendus. Quae v borum vis, quae dicendi copia, quae orationis vai tas tam variis in rebus desideratur! Mitto gratiar actiones, mitto gratulationes, mitto petitiones, ex stulationes, deprecationes, quae non exiguam loque copiam requirunt. Epistolas vero praeterire non p sum, quae cum saepe vel de publicis, vel de priva negotiis scribendae sunt, tum, nisi a disertis vir non eas posse perscribi vel hoc unum aperte doc quod neminem unum, qui dicendo plurimum non luerit, hoc in genere novimus praestitisse.

Ad poetarum vero fabulas quod pertinet, eri aliquis tam peregrinus et hospes, qui non videat, fabularum veluti integumentis gravissimas philosoph rum sententias contineri, quibus suam quisque vit non solum, sed aliorum quoque hominum moder apposite valeat? Neque vero Aesopus, quem hoc genere plurimum praestitisse scimus, exiguum sui

boris fructum est consequutus: qui, quum eam philosophiae partem, quae de moribus appellari solet, fabulis expressisset, illud profecto effecit, ut multos de recte instituenda vita doceret, et principibus quoque viris, ac maxime Lydorum regi, cui carus apprime fuit, non mediocriter ad moderationem regni prodesset. Quid vero de caeteris poetis dicam? Num ipsi, ut imperiti falso opinantur, contexunt fabulas, ut mentes hominum inani quadam oblectatione demulceant; an potius ut saluberrima nobis philosophiae praecepta insinuent, quae honestissima suavitate aspersa facilius in adolescentum animos influant, eosque ad omnem humanitatem disciplinamque morum informent? Nisi forte dementem putatis Lycurgum, sapientissimum virum, qui, quum Joniam peragraret, inventam Homeri Iliadem tanti esse faciendam putavit, ut eamdem sua ipsa manu transcriptam, tamquam thesaurum aliquem doctrinae plenissimum, in patriam laetus deportarit: dementem Hipparcum Pisistrati filium, qui eamdem et summo habuit in pretio, et certo quodam tempore Athenis publice ad cantus celebrari jussit, ut tanta utilitas ad cives omnes redundaret: dementes populos ac civitates fere omnes, a quibus accepimus fuisse saepe poetas acerrime expetitos, non modo ut suarum rerum ornamenta ac decora celebrarentur, sed etiam ut juventutis animi omnium doctrinarum fontibus irrigarentur.

Sed quid ego plura persequor? quasi vero subsidiis aliis magistri utantur, quam iis, quae a Cicerone et Virgilio suppeditantur; quibus totum illud opus, quod susceperunt, conficere tandem perfectius possint. Ea porro est in tam egregiis Scriptoribus vis et copia, eaque prope in omne artium genus diffusa facultas, ut, si probe eos doctor interpretetur, nihil illi non sufficiant, quod ad eam, quam diximus, in discipulorum animis imprimendam optimarum rerum formam conferat; ex qua, quum usus postulet, iidem quidlibet pro varietate munerum exprimere facili negotio possint. Non enim nuda ipsi praecepta tradunt, sed ita res ipsas exhibent, nihil ut majore sit expolitione et arte distinctum. Cum vero multiplex est genus rerum, quas tractant, tum illas quadam veluti demonstratione ita legentium subjiciunt oculis, ut eas intimis defigant sensibus, vimque imaginum effectricem moveant, qua adolescentum animi percelluntur. Quid, quod per omnes humanae vitae actiones ita serpunt ac vagantur, ut, exceptis illis, quae in hominibus ethnicis sunt corrigenda, nihil ad honestam morum conformationem accommodatius possit excogitari? Quid, quod ita naturam hominis introspiciunt, atque ita humanas affectiones explicant, ut pauci admodum in illas altius intimiusque pervadant? Quid, quod nullarum non prope rerum saltem aliquam cognitionem tradunt, sive illas volumus, quae in philosophorum placitis con-

tinentur; sive illas quaerimus, quae in quotidiano usu versantur, a communique vivendi genere non abhorrent? Eritne adhuc, qui sentiat, adolescentum bonum, ac privatae publicaeque rei commodum ex humaniorum litterarum studiis nullo percipi modo posse? Quis enim hoc non videat, adolescentes illos, qui ea, quam posui, institutione fruantur, idoneos fore, qui pro ingenii modo proficiant, si ad alias animum disciplinas convertant, et ratione aliqua reipublicae munera tueantur, si quam aliquando ejusdem partem attingant?

Sed vestrum est, Adolescentes optimi, eam magistris publicis praestare operam, sine qua frustra omnis erit ab illis susceptus labor, quo vos idoneos vel ad quascumque disciplinas, vel ad quodcumque optetis munus ipsi omni contentione reddere enituntur. Sit ille vobis ardor percipiendae doctrinae, illudque studium, sine quo, ut monet Cicero, cum nihil in vita egregium, tum certe hoc, quod nos expetimus, nemo umquam assequetur. Sit docilitas illa, quae vos doctori vestro morigeros facilesque reddat, et, si vestrum ab illo quaeri in pietate ac litteris profectum creditis, non est, cur illi parere in iis, quae ad vestram institutionem pertinent, recusetis. Sit auditio illa, quam tantopere Tullius laudat, quae si una desideretur, illud vobis persuasum sit, omnia, quae vestrae institutioni impendi a quolibet doctore poterunt vel praestantissimo peritura. Atque ut omnia paucis com-

plectar, diligentiam seduli exhibete, quae, ut inquit Tullius, omnibus in rebus valet plurimum, quaque una virtute reliquae virtutes omnes continentur. Diligentia enim efficit, ut attente omnia magistri dicta excipiatis; ut, quae audistis, vobiscum ipsi recolatis, penitusque memoriae vestrae mandetis; ut vos lectioni totos dedatis, et sitis in scribendo assidui, et curam et cogitationem in ea, quae scribitis, intendatis. Si hanc diligentiam, quam maxime commendatam vobis relinquo, constanter ac sedulo exhibeatis, cum omnes officii vestri partes cumulate implebitis, tum in humaniorum artium studiis illos percipietis fructus, qui a recta instituta docendi ratione manare in adolescentes omnes pro cujusvis ingenii modo consueverunt. Dixi.

DE PUERORUM INSTITUTIONE IV.

ORATIO XIV.

Quod olim de Tacapensi quodam Africae agro mire dictum a Plinio accepimus, eum propter egregiam soli ubertatem omnium fere stirpium, quas terra gignit, generibus frequentari solitum ac vestiri; id mihi saepius de adolescentum ingeniis sentire illi videntur, qui haec multis ac variis artium et scientiarum doctrinis excipiendis paria arbitrantur. Contendunt enim belluli quidam homines inusitatae cujusdam institutionis propugnatores, multa quidem ac diversa adolescentes illos, qui publicas ad scholas confluunt, uno tempore doceri posse ac debere. Volunt, eos non modo graecas et latinas et etruscas complecti litteras, sed etiam geometriae arcana et antiquitatis memoriam et gestarum rerum monumenta persequi, et reliquis hujus generis artibus eadem, ut ita dicam, opera erudiri. Volunt, eos fieri et accusatores acres et defensores lenes et hortatores graves et dissuasores consilio-

rum probabiles et laudatores rerum ac personarum peritos et vituperatores vehementes, quibus dicendi generibus circumscripta eloquentia ferme continetur. Volunt, eos poetarum insignibus sic ornari, ut iidem epici, iidem tragici, iidem comici et lyrici et bucolici et satyrici haberi jure dicique possint. Quae quidem opinio si quantum prima, quam praesefert, specie splendida est ac magnifica, tantum re ipsa vera esset ac frugifera; illam non modo non rejiciendam esse, verum etiam ultro amplectendam putarem. Sed in eam mentis aciem intendenti quum multa sint, quae omnino falsa et perniciosa occurrunt; non possum, quin ab illis, qui eam tamquam veram atque utilem magnificentius praedicant, me dissentire penitus profitear, aliudque consilium, ut ego arbitor, longe verius ac salutarius in facultatibus tradendis omnino esse ineundum putem. Itaque date mihi hanc veniam, Auditores, ut, quid ego de hujusmodi opinione sentiam, hodierna die paullo fusius exponam. Confido enim fore, ut mecum ipsi sentiatis, atque hanc de instituendis pueris opinionem tamquam juventuti noxiam, ac bonis infestam artibus, rebusque publicis perniciosam ab omni recta studiorum ratione repellendam esse judicetis.

Adolescentes, qui gymnasia celebrant, vel exiguo ingenio pollent, vel mediocri, vel etiam magno: magno, inquam, sed quod praeter communem hominum conditio-

nem minime extollatur. Non eos hic ego juvenes complector, qui plane hebetes stolidique sunt, quibus sive rectam, sive pravam institutionem adhibeas, neque prodesse, neque nocere admodum docendo queas. De illis etiam, qui exiguo praediti sunt ingenio, nihil est profecto, cur aliquid a me dicendum putem. Si enim institutio, qua de agitur, mediocribus magnisque noceat ingeniis, multo etiam magis exiguis noceat necesse est. Jam quid ego sentiam, accipite. Si inusitata ac nova, quam initio dixi, institutio mediocribus adolescentum ingeniis adhibeatur, nihil sane intelligunt, nihilque discunt: si vero magnis, arrogantiae multum, sapientiae parum adquirunt. Illi bonis artibus, reique publicae nihil prosunt: isti etiam nocent. Haec omnia breviter mecum, quaeso, facite, ut perpendatis.

Atque ut primum de mediocri ingenio praeditis adolescentibus agamus; si in adulta jam et confirmata aetate ea est plerumque ingeniorum ratio, ut, quum eorum in plura studiorum genera distrahatur industria; in nullo miri progressus fiant, multumque illa desideretur excellentia, quae privatam rem atque publicam amplificare ornando possit; quid fore in pueris arbitramur, quorum ut corporis habitus est infirmior, ita et ingenii facultas illa mediocris diuturnitate nondum temporis atque usu confirmari potuit? Certe nisi omnes simul industriae nervos adhibeant, atque omnem in litterarum studiis operam curamque collocent, ac

totos ad unum aliquod certum se studium conferant; nihil prorsus ab ipsis agi efficique posse ipsi nos eventus rerum edocuerunt. Oh vere miseros ac miserandos pueros, qui tam diversa ac multa in institutione hujusmodi percepisse feliciter dicebantur! Quum illi se grammaticam et rhetoricam, se historiam et geographiam, se antiquitatem et geometriam, aliaque hujusmodi perspecta habere gloriabantur, quum alios prae se pueros fastidiosi ac tumidi despiciebant, quum ad altiores scientiarum gradus conscendere meditabantur, quae rerum in ipsis conversio fuit, statim ac doctrina eorum ad aequam tandem disquisitionem trutinamque venit! Ut nihil admodum scire, praeter nuda quaedam rerum vocabula, quae ne satis quidem commode noverant, reperiebantur! Ut omnino, ubi carmen illud a magistro traditum continenti spiritu pronuntiaverant, quid amplius dicerent, non habebant! Ut denique illi tam docti olim ac litterati pueri, qui in rhetoricis, in geometricis, eruditi in omnibus venditabantur, haesitabant turpiter, et nihil in ipsarum initiis rerum intelligebant! Miseret me vestri, Adolescentes lacrymis fletuque digni, quibus ex illo geometrico pulvere tam erudito et illustri ad illum grammaticum redire contigit, et qui antea nescio quid de quadrando circulo, de longitudinis gradu, de syderum motibus agebatis, nunc de nominum declinationibus ac de verborum et syllabarum temporibus vobis esse agendum et cogitan-

dum videtis. Miseret me vestri, Doctores splendidi, qui tot frustra labores pertulistis, ac tantas molestiarum moles conatu irrito sustinuistis. Miseret me vestri, Parentes optimi, quibus omnis illa spes concidit, qua maximos a vestris liberis fructus percipiendos olim animo praecipiebatis.

Sed quid ego privatum singulorum damnum commemorem; perniciem vero reipublicae sileam, quae saepenumero a mediocribus etiam ingeniis non mediocriter juvari solet? Quid enim, Auditores? Levemne reipublicae pestem inferri credimus, si institutione hujusmodi invalescente, mediocrium illa praesidio careat? Equidem audacter dicam, atque, ut arbitror, etiam vere: si ad hoc forte respublica adduceretur, ut vel mediocriter eruditis, vel excellentibus doctrina viris carere ipsa deberet; utris autem careret, eidem eligendi optio deferretur; profecto mallet summis illis ac praestantibus, quam his mediocriter excultis doctrina viris carere. Etenim illi plus ornamenti, isti plus utilitatis afferunt: in illis major quaedam admiratio est, in istis major usus ac frequentia: illorum et singularis et praecellens opera aut non requiritur, aut, si aliquando requiratur forte, multorum mediocrium studio ac labore compensari saltem aliquo modo potest: istorum opera quotidie ad multa, immo fere ad omnia indigemus, neque, eorum si partes desunt, compensari ulla ratione possunt. Quid, quod eximii

quidam viri saepe ad multa reipublicae munera non satis deprehenduntur apti, sive quod ad illa aegre descendunt, quae laboris plurimum, doctrinae parum requirunt; sive quod studiorum suorum abrepti inlecebra ab omni rerum administratione abhorrent; sive quod aliquarum artium ea vis est ac natura, ut, qui illarum cognitione praestant, non fortasse multum, ut publicam rem attingant, expetendum esse videatur? Quare quum doctrinae mediocritas plus etiam, quam paucorum hominum excellentia, reipublicae utilitatis affeтat; haec autem ab eis, qui mediocri ingenio praediti nova illa docendi ratione instituuntur, sperari nequicquam possit; dubitabimusne, Auditores, quin eadem nova docendi ratio, si propter gliscentem rerum perversitatem invalescat, summam denique sit perniciem reipublicae allatura?

Age jam de pueris magno ingenio praeditis agamus. Dico, institutionem hujusmodi, quam vani quidam homines adhuc diligunt, semidoctorum tantum efformare nationem posse. Homines isti sunt nec sapientes, nec indocti, qui olim Graeculi vocabantur, et se veterum romanorum auribus immoderatius solebant atque odiosius inculcare. Non sapientes quidem: hoc enim nomen ii sibi jure vindicant, qui vera ac solida doctrina pollent, qui multam in litteris collocarunt operam, qui illud enixe egerunt, ut optimas artes sibi cognoscendas penitus existimarint. Atqui nihil horum

simile reperire in istis possumus. Non itaque a nobis queunt sapientes jure appellari. Sed neque indocti sunt et imperiti. Quemdam enim, quo indocti carent, colorem certe doctrinae, et quaedam eruditionis veluti lineamenta in istis facile intueris. Nihil quidem animo penitus combiberunt; sed multa tamen primoribus, ut ajunt, labiis degustarunt. Quare quum neutri omnino sint, nec plane litterati, nec prorsus sine litteris, sunt quoddam veluti medium atque interjectum genus inter doctos et imperitos: ita tamen, ut nec illas doctorum hominum bene constitutas et quasi fundatas copias, nec illam, quod unum bonum indoctorum est, verecundiam habeant ac modestiam. Quamobrem illos videas cum satis inopes inanesque prudentiae, tum sibi nihil non arrogantes, quod in litteris etiam maximis ferri nequit. Inani tumentes fastu celsi ambulant et erecti, et falsa ingenii doctrinaeque suae opinione ducti de omnibus fere sententiam ferunt, et obvios omnes in triviis, in circulis, in plateis, qua pollent una, loquacitate caedunt, donec eos mulctatos misere audacterque dimittant. Quae ipsi ignorant, praesertim vero latinam linguam, extenuant temere et abjiciunt, ac caelum ipsum stultitia petunt, ut caeteros doctrina vincere existimentur. Similes prorsus aut Zoilo Amphipolitae, qui Homerum crudeliter caesum ad nugivendos amandavit; aut Largo Licinio, qui Ciceronem omni vituperationis nota exagitavit; aut Asinio Pollioni, qui

Julium Caesarem suos perperam Commentarios perscripsisse olim praedicavit; jactare apud imperitam multitudinem non verentur, hunc nullo praestare eloquio; illum poeticae artis expertem, alios levi eruditione fulciri, alios denique indignos esse, qui litteratorum nomine honestentur. Cum vero aliena quaeque contemnunt, tum suas miseras, quas tantum norunt, litterulas mirantur, magni faciunt, et praedicant, et invitis etiam ultro offerunt et obtrudunt. Ipsi videlicet soli sapiunt, soli sunt Jovis fratres, soli astra illa, quae luce sua illustria quaeque restinguunt.

Sed quorsum ego de natione hujusmodi tam multa protuli! Ut vos nimirum, Auditores, intelligatis, qua sapientia praeditos sit respublica viros habitura, si nova ista docendi ratio propter stultitiam hominum percrebescat. Si enim egregii isti disciplinae veteris obtrectatores id agerent, ut semidoctorum turbam quotidie magis augere vellent, nullam aliam profecto viam, quae eo certius ferret ac deduceret, inire possent. Quid enim doctrinam illam, quae vere sapientem hominem constituat, ab illis speres, qui consistere litteris in nullis possint, qui celeriter gustare multa impellantur, qui nulla in re immorari queant, qui, ut multa studiorum genera complectantur, singula summatim discunt cursimque attingunt? Habetis igitur, Auditores, quo haec nova recidat institutio, quae tantopere ab ineptis quibusdam hominibus commendatur.

Non haec oratores summos, non poetas egregios, non elegantes scriptores, non antiquitatis, non historiae, non geographiae ac geometriae peritos progignit viros, sed gerrones, qui ventosa doctrinae suae praedicatione pascuntur; sed nebulones, qui, quidquid scriptitant, notis ignotisque omnibus legendum exhibent; sed vappas, qui eos commendant unos, quorum laudes misere aucupantur; sed graculos, qui alienis deterendis laudibus delectantur; sed cerebrosos, qui, ne ingenio cedere videantur, quidquid ipsi dicant, licet falsum, summa pertinacia ducti defendunt. Quae vero hinc damna in res non privatas modo, sed etiam publicas proficiscantur, quis oratione complecti ac dicendo queat commemorare? Hinc quaestiones illae putidulae et insanae ad ostendandum ingenium inaniter excogitatae: hinc ferales illae tragoediae earumdem causa commotae: hinc convicia illa et contumeliae impudenter passim jactatae: hinc obscaena illa carmina, quae molles juventutis animos foedissima voluptatis inlecebra corrumpunt misere atque pervertunt.

Prodeant modo illi veteris institutionis correctores, illudque tandem aliquando videant, quo demum spectet ea nova docendi ratio, quam ipsi a nobis amplectendam esse contendunt. Nimirum eo, ut adolescentes, qui mediocri ingenio pollent, nihil intelligant, nihilque discant: qui vero magno, arrogantiae multum, sapientiae parum adquirant. Nimirum eo, ut

litterae omnes bonaeque artes a pristina illa, ad quam eas sapientissimi olim provexerunt viri, dignitate concidant. Nimirum eo, ut non privatae modo, sed res etiam publicae mediocribus ab ingeniis utilitatem nullam percipiant, a magnis pernicie maxima afficiantur. Praedicent modo egregii isti doctores inusitatam suam institutionem, despiciant veterem dicendi morem, suosque fructus, praeclaros quidem, per compita ac vias circumferentes, eorum similes, qui elegantias venetas obviis exhibent, numquam desinant clamitare.

At enim, inquiunt aliqui, nova ista docendi ratio quibusdam saltem est apta ingeniis, quae supra communem caeterorum hominum conditionem extolluntur.

Equidem, Auditores, quum pueros nomino, discipulos illos intelligo, qui hodie sunt, quos videmus assidue, quibuscum una in domibus versamur; non vero eos, qui hujusmodi sunt ingenio praediti, quo instructum fuisse accepimus aut Petrum illum Bembum, qui viginti fere annos natus ea dicendi facultate pollebat, quam vel doctissimi provectiores aetate viri desiderassent; aut Picum illum Mirandulanum, qui eam intelligendi vim praeseferebat, ut merito ingeniorum phoenix appellaretur; aut Torquatum illum Tassum, qui, quum Neapoli a Bernardo patre ad publica quadrimus puer gymnasia deductus esset, usque adeo in litteris tamque celeriter profecit, ut septennis et lati-

nam linguam nosset, et graecam non ignoraret, et versus et orationes scriberet, et ad coronam, quae scripserat, recitaret. Jam vero si quis forte in scholis puer existat, qui divina quadam ac singulari mentis sollertia praeditus omnia statim, quaecumque tradas, arripiat, assequatur, ac teneat; huic istiusque similibus, si qui existant, quamlibet multa et diversa doctrinae vis atque copia, per me licet, tradatur. Da enim singulares quosdam in adolescente ingenii motus et inusitatos: da acre discendi studium: da sciendi immensam et inflammatam cupiditatem: adde eo animi generosam quamdam indolem atque excelsam, quem vinci pudeat, qui ne parem quidem ferre possit, sed primas in litteris petat et concupiscat, gloriaeque acerrimis stimulis incitetur; nae iste tantis ac tot singularibus dotibus cumulatus multa statim percipiet, ac multarum cognitione rerum antecellet. Simul ac prima tradideris, ac tamquam forti equo ac generoso stadium et curriculum commonstraris, impiger ad multarum doctrinarum metas evolabit. At non ex iis, quae perraro solent contingere, agendarum in vita rerum constituenda ratio est ac moderanda. Valet, si quando id evenit, vis animi excellens quaedam, non disciplina: natura ipsa, non autem ratio dominatur. Itaque illud nos teneamus, caeteros pueros, qui hoc excellenti ac singulari naturae dono non pollent, quorum numero gymnasia publica celebrantur, tam multa isthaec tam-

que diversa, quae ab aliquibus in rem ipsam altius atque intimius non pervadentibus postulantur, nequaquam esse docendos.

Non moventur homines pertinaces, acriusque instant: Transigatur, inquiunt, quam citissime latinae studium grammaticae, aliarumque rerum, atque earum praesertim, quae ad geometriam et antiquitatem pertinent, cognitione pueri imbuantur.

Non possum hic ego, Auditores, non eorum castigare impudentiam, qui artem grammaticam valde contracto tempore pueris tradere se posse jactant. Scio, irrisam fuisse semper Gasparis Scioppii arrogantiam, qui, quum *Mercurium bilinguem* ex Hispania in Italiam attulisset, atque ubique vulgasset, hoc uno commentariolo adhibito, universam latinam linguam duobus, vel tribus mensibus, ut Lagomarsinius refert, comprehendi posse jactitabat. Nos vero, Auditores, illorum stultitiam hominum perferemus, qui Scioppio similes tam perverse de re grammatica sentiunt ac judicant? Sed, ne in re ab eruditis fere omnibus viris jamdiu irrisa, ac deinceps irridenda immorer, sic ego statuam brevissime: Si grammaticam tradere est praecepta solum hujusce artis decurrere, ut quidam graeculi arbitrantur, brevi certe absolvi tempore res ista potest ac transigi. Si vero grammaticam tradere est hujus artis praecepta sic pueris nota facere, ut latinos auctores intelligant, et rectam scribendi formam addi-

scant, quemadmodum cum Lagomarsinio praeclarissimi quique senserunt viri; videant, quale quantumque sit, quod recipiunt, negotium, qui rem adeo arduam et difficilem, cujus prope infinitam vim Tullius nominat, tam brevi, quam putant, tempore se expedire posse confidant. Quare jactent ista imperitis, et novis edendis de re grammatica commentariis ignarum vulgus in diversa studia distrahere magno cum studiorum incommodo, ac discentium juvenum pernicie desinant. Nam ad geometriae et antiquitatis studia quod attinet, equidem, quod sentio, dicam; ea nimirum, si judicare a vero rectoque sensu velimus, neque omnis aetatis, neque omnis ingenii, neque nostrae institutionis esse facile deprehendemus. Accedit, quod si praestantes excellenti ingenio adolescentes in geometricis cognoscendis rebus et in antiquarum rerum monumentis occupentur, a caeteris profecto humanitatis studiis, quorum tempestivitas praeterit, abducentur, neque illi recte scribendi exercitationi sedulo satisfacient, sine qua numquam, quae ipsi praeclare olim excogitabunt, cum dignitate eloquentur.

Quid ergo, urgent iterum, tua tandem erit institutio, quae jejunis tantummodo grammaticae ac rhetoricae praeceptionibus circumscribatur?

Non is ego sum, Auditores, qui adolescentulos omnes, praesertim si acri quodam ingenio polleant, aridis quibusdam tantum grammaticae exercitationibus

unice occupari velim, multoque minus illis, ut vocant, difficultatibus detineri, quibus etsi optime sese expediant, id tandem assequentur unum, ut grammatice quidem, at non latine, non eleganter loquantur. Scio, puerorum quoque animos copia quadam et abundantia rerum laetari maxime ac propemodum enutriri. Scio, assiduam ejusdem rei tractationem non cupiditatem discendique sitim solere incendere, sed fastidium fere ac satietatem afferre. Scio, non docentium modo, sed etiam discentium mentes doctrinae quadam vice ac varietate refici et recreari. Itaque volo, adolescentes omnes, dum latinam condiscunt linguam, sermone etiam vernaculo instituantur, ne barbare, ne inquinate loquantur, ne, dum scriptores veteres interpretantur, ex optimis latinis italica nobis pessima vel legenda, vel audienda proponant. Volo et illa, quae ad recte scribendi modum pertinent, edoceantur, ne vitiosam illam ac foedam, quae in pueris corrigenda est, hoc in genere peccandi consuetudinem in grandioribus etiam natu animadvertamus. Volo, ubi jam tolerabilem quemdam in latino sermone progressum fecerint, graecis quoque, si fieri possit, litteris initientur, sine quibus omnis est eruditio manca atque debilis, quasque nisi mature arripiant, numquam fere perdiscent. Quum vero grammaticis commentationibus perfuncti adolescentes fuerint, inque rhetoris disciplinam venerint, placet illud perfectae eloquentiae stu-

dium, in quo praecipue curis omnibus elaborent: placet ille addiscendae ardor poeseos, quae vim imaginum effectricem commovet, quibus ipsa eloquentia alitur ac nutritur: placet ille dicendi artifex effectorque stylus, qui dies noctesque urgeri a sedulis magistris debet. Atque ut paucis complectar omnia, sic ista placent, ut, si qua hujusmodi studiorum adjumenta sunt, quae certe sunt ab historia, a geographia, a graecorum fabulis expetenda, sine quibus haec ipsa, quae volumus, aut vix constare, aut certe absoluta et perfecta esse non possint, illa ab adolescentum doctrina non modo non removenda, sed ultro etiam, ubi in auctorum veterum interpretatione locus admoneat, adsciscenda putem.

Quae quum ita sint, quid in illorum hominum, contra quos agimus, institutione reprehendendum esse arbitramur? Nempe illud, quod tam multa ipsi pueris, tam varia, tam etiam inter se dissidentia tradunt; quod nullo delectu, nullo judicio, nullo aetatum et ingeniorum discrimine omnia ingerunt et inculcant; quod denique certam rem nullam, cui praeter caeteras pueri studeant, ac penitus cognoscendae animos adjiciant, ab iis relictam esse comperiamus. Hoc enim et pueris noxium, et infestum litteris, et rebus publicis perniciosum esse jam satis hactenus superque vidimus.

Itaque ab hac pernicie prohibete, Doctores publici, adolescentes illos, qui sapientiam fidemque vestram

implorant, illudque unum a vobis postulant, ut nempe ad solidam, non inanem ac futilem doctrinae lucem recto ipsi tramite deducantur. Prohibete civitates illas, quae a vobis expetunt, non ut importunam quamdam ac loquacem semidoctorum turbam excitetis, sed ut illos efformandos pueros suscipiatis, qui consequenti deinde tempore sapientia sua ac doctrina muneribus illis satisfacere cumulate queant, sine quibus civitates ipsae stare omnino non possunt. Prohibete res omnes publicas, quae mediocrium operam auxiliumque postulant; praestantium vero ingeniorum lucem expectant, qua splendorem suum dignitatemque in dies propagare longius latiusque possint. Vos autem, quotquot hic adestis, Adolescentes optimi, etiam atque etiam rogo, ne magnificis ullorum hominum pollicitationibus insidiisque ullis in studiorum curriculo inani abrepti famae inlecebra decipiamini. Discendi ardorem, quo flagratis, egregia illa docilitas comitetur, quae vos morigeros ac magistris vestris consentientes efficiat. Laeti et alacres institutionem illam sectamini, quae ad optatum vos in pietate ac litteris profectum faciliori via deducat. Hac praeiverunt illi sapientissimi viri, quos mecum jure suspicitis, et quorum similem vobis comparare laudem exoptatis. Hac institerunt ii, qui aut retro elapsis, aut volventibus modo annis, natali quondam relicto solo, ad honores amplos evecti doctrinae suae virtutumque lumine splendorem

patriae attulerunt. Aetate jam hac vero nostra, quis non plane sentiat atque adeo videat, eadem via praeivisse CAESAREM CARDINALEM AMPLISSIMUM, cujus praesentia clarior, quam luce dies, tantum nobis splendorem affert, quantum ille afferre potest, qui, ut Bernardi verbis utar, *et super senes intelligit, et moribus dies anticipat, et tempora moribus praevenit, et, quod aetati deest, virtutibus compensat?* Quem enim latet mirifica illius animi indoles ac natura, quae tam egregia ab ipsa pueritia fuit, ut nemo foret ex iis, qui eum instituerent, quin doctrinae omnis in ipso virtutisque olim praesidium constitutum esse arbitraretur? Quae quidem spes ne cujusquam animum falleret, quam cito effecit! Summa erant ornamenta generis, summus familiae splendor, summa Majorum gloria et amplitudo. Haec tamen externa plane bona, vel fortunae potius ludibria, quantum continenter ipse virtute sapientiaque sua cumulavit! Profecto tantum, quantum necesse fuit, ut singulari illum non amore solum, sed existimatione quoque PIUS VI. Pontifex Maximus prosequeretur, illique gravissima Ecclesiae munera commendaret. Profecto tantum, quantum necesse fuit, ut Batavorum sibi Belgarumque animos conciliaret, ut Virorum Principum favore et gratia honestaretur, ut exterarum gentium, quae suae commissae curae fuerant, incolumitas in sua tutela ac fide placide conquiesceret. Quae nisi ita magna esse fatear, ut

omnium percellere animos admiratione debeant, sim merito amens existimandus. Certe ita PII VII. mentem atque animum perculerunt, ut eum illico dignum putarit, qui in Purpuratorum Patrum Conlegium adlegeretur, amplissimo pronuntiato Elogio, quod cum Pontificis, qui ornavit, judicium protulit; tum omnium, qui ornatum noverant, gratulationem ultro atque adprobationem facile excitavit. Et sane, CAESAR BRANCADORI, patere enim, oro, ut extrema haec mea te compellet oratio, quod, Cardinale te renunciato, tanta statim in omnium animis, ac praesertim in Firmanae hujus Civitatis hominibus declarata laetitiae voluptas fuerit, noli, quaeso, id vel assentationis, vel gratiae causa esse factum existimare. Meritorum tuorum splendor, qui late undique emicabat in diesque magis augebatur, hanc in omnium animis excitavit laetitiam, hos tibi comparavit plausus, hunc tibi amorem commovit: ita ut maxima utrimque gloria et in honore accipiendo, et in deferendo isto fuerit. Valeas igitur ac vivas, CAESAR CARDINALIS AMPLISSIME, BRANCADORIAE gentis decus, Firmanae Civitatis splendor, Athenaei nostri ornamentum, Christianae reipublicae columen, Purpurei Senatus lumen, Juventutis vere patronus, bonorum omnium laetitia et amor. Valeas, et quam diutissime vivas, et singulari, quo polles, omne genus hominum juvandi ardore provincias regionesque

cunctas impleas nominis tui gloria, et praeclara tuorum benefactorum laus ac fructus in orbis terrae memoriam sempiternam in dies usque latius atque uberius disseminentur. Dixi.

ORATIO XV.

Quae olim in instaurandis studiis oratores quidam elegantes ac diserti, atque in rhetoricae tradendae munere commendatissimi de arte grammatica verba facere consueverunt; eadem apud vos quodammodo revocare ac repetere, si umquam alias, hoc maxime tempore non opportunum modo, sed necessarium quoque existimavi. Ea viros illos doctos ac graves ratio movit, ut hujusmodi argumentum utile quidem pueris ac salutare, sed minime nonnullorum auribus accommodatum, tractandum publice explanandumque susciperent, quod multi aetate illa sive contentionis studio, sive perversi judicii aestu correpti grammaticas Italiae scholas insectabantur, et novas quasdam tradendae latinae linguae rationes, tamquam meliores, ac propterea priscis anteponendas praedicare minime desistebant. At non haec ratio eadem vocem excitabit meam hoc tempore, quo publicae per Italiam scholae diuturna apud mul-

tos infamia flagrant; propterea quod non ea in illis latinae tradendae linguae servetur ratio, quam veteres instituti osores a nobis excipiendam ultro admittendamque contendunt? Perniciosae illae voces hoc iterum tempore jactantur maxime, quibus non grammaticae solum artis tradendae ratio, verum etiam ars ipsa petitur, et universa, nisi provisum opportune fuerit, labefactatur. Itaque hodierna die quid de hujusmodi contentione sentiam, me aperte ac libere dicturum esse profiteor. Duplex, ut rem proponam, est eorum genus, de quibus oratione hac mea mihi esse agendum intelligo: alterum eorum, qui artem ipsam grammaticam petunt: alterum eorum, qui ipsius artis tradendae rationem respuunt. Illi latinam linguam non in grammaticorum libellis, sed in veterum latinorum scriptis esse discendam volunt: isti in grammaticorum quidem libris, non vero in iis, qui latinae linguae praecepta latino sermone edita et conscripta tradunt, discendam esse contendunt. Utrosque oratione hac mea refutandos hodie existimavi. Ad ea, quae proferam, Auditores, vestros, quaeso, animos comparate. Res enim agentur prima quidem specie tenues et exiles, re autem ipsa gravissimae et maximae, quae ut vos ad me attentius audiendum excitare, ita me ad dicendum vehementius debent utilitate sua commovere.

Atque ut illis primum succenseam, qui artem ipsam grammaticam petunt; quae sit ipsorum senten-

tiae ratio, facite, quaeso, Auditores, ut mecum benevole recognoscatis. Ajunt, pueros, quod multum praeceptis tribuatur temporis, in grammaticis scholis consenescere: in librorum lectione utilius, quam in praeceptorum cognitione, tempus collocari: latinam linguam non grammaticis praeceptionibus, sed veterum latinorum scriptis addisci: hoc gallicae et hispanicae luculenter docere exempla contendunt. Haec ferme cum Vincentio Gravina proferunt, qui grammaticam artem qua voce, qua scriptis insectari saepius consueverunt. Haec eadem nos dilucide ac breviter discutiamus.

Pueri in scholis grammaticis consenescunt. Utinam vero, Auditores, non dicam equidem consenescerent, sed saltem adolescerent; neque tam immaturi, ut vulgo fit, primum ad rhetores, deinde ad philosophos, denique sive ad jurisperitos, sive ad theologos mitterentur! Si enim hoc fieret, quod jamdiu maxime a praeceptoribus exoptatur, et latiniores illi evaderent, et cumulatius deinceps reliquis satisfacere facultatibus certe possent. Sed praepostera ista sive parentum, sive liberorum festinatione sine illa, quae necessario requiritur, latinae linguae cognitione, inepti ad rhetores dimittuntur. Oh vere miseros ac miserandos! Quis enim rhetoricae artis magister hoc se effecturum recipiat, ut eloqui possint ii, qui bene latine loqui non possint? Negat hoc Pomponius Atticus, qui hujusmodi pueris ad facultatem omnium nobilissimam conten-

dentibus solum et quasi fundamentum oratoris loquutionem emendatam et latinam esse denuntiat. Negat Julius Caesar, qui apérte declarat, verborum delectum originem esse eloquentiae, ut ignaros juvenes a rhetoricae limine arceamus. Negat Lucius Crassus, qui minime sperandum esse pronuntiat, eum, qui latine loqui non possit, ornate esse dicturum. Negant denique illi rhetores, qui suum frustra laborem in hujusmodi pueris instituendis impendunt, et frustra in eodem saxo versando, ut olim Sisyphus, oborta tandem desperatione, dialectico illos tradunt; perinde ac illa, quae prohibuit, ne oratores fierent, latinae linguae ignoratio, non ea impedimentum ad altiora progredientibus sit allatura. Quid enim agunt miseri, aut quo se vertunt, quum illa scientiarum veluti sacra non aliis audiunt, nisi latinis vocibus evulgari? Quid, quum ab audiendo ad dicendum traducti, eo solo praesidio freti, quod prima sibi aetate compararint, obscurissima philosophiae arcana explicare verbis coguntur? Sane, tamquam in Pythagorea schola, semper veluti truncis similes obmutescunt. En quo illa recidat tanta pueris tradendi grammaticam festinatio, cui novae institutionis auctores numquam voce scriptisque suis favere desinunt. Quid, quod subacti ingenii maturique judicii juvenes requiruntur ab iis, qui severiores artes graviores que tradunt disciplinas? Nam, si alia possunt, maturitatem certe illam, quam adolescentes afferre altio-

ra ad gymnasia debent, conferre ipsi non possunt. Sinite ergo, Parentes optimi, vestros liberos maturescere, antequam ad rhetoricae studia ac sublimiores mittantur disciplinas, si quem ab ipsis fieri progressum in litteris exoptatis.

At in librorum lectione longe utilius est, quam in praeceptorum cognitione, tempus collocari. Audio, sed illud etiam animadverto: si nihil praecepta ad discendi celeritatem conferrent, illi ipsi profecto latini veteres, qui eloquentiae laudem expetebant, in suis tantum scriptoribus perlegendis constitissent. Atqui ad publicas illi confluebant scholas, ut rationem latinae linguae *methodicen*, quemadmodum eam, Quintiliano teste, appellabant, a grammaticis docerentur. Ergo illi, qui latinae linguae scientiam et cognitionem quodammodo cum nutricularum lacte sugebant, sibi non negligenda esse praecepta arbitrabantur; nos alienam linguam una lectione librorum citius, quam praeceptorum conjunctione percipi posse existimabimus? Quis enim ignorat, doctores italos ita grammatica praecepta tradere, ut non minorem etiam curam in veterum scriptorum libris explanandis impendant? Quis ignorat, discipulos italos quotidie multa ex veteribus aureae latinitatis ducibus et ad verbum ediscere et memoriter pronuntiare? Quis ignorat, ipsas grammaticae praeceptiones plurimis latinorum veterum locis, quae afferuntur, diligentissime confirmari ut ne

tum quidem, quum aliquid praecipitur, puerorum oculi ab exemplaribus avertantur? Et mihi adhuc quisquam opponat, pueros in grammaticis scholis consenescere? Et quisquam adhuc dicat, utilius esse in librorum lectione, quam in praeceptorum cognitione tempus collocare? Si enim consenescunt in scholis, ubi tam assidua ac diligens latinorum scriptorum lectio cum latinae linguae praeceptionibus est conjuncta, quod certe latinitatis spatia multum contrahit; quid, si grammaticae silerentur praecepta, et sola scriptorum lectio adhiberetur? Non consenescerent modo, arbitror, sed supremum etiam obirent diem, anteaquam se latine scire profiteri jure possent. Si enim utilis est latinorum librorum lectio, quod nemo negavit umquam, utilior forte non erit pueris, a quibus uno eodemque tempore servandae in scribendo leges addiscantur?

Quid igitur valere illa existimabimus, latinam linguam non grammaticis praeceptionibus, sed veterum latinorum scriptis addisci? Utilius enim celeriusque addiscitur, si neque tantum grammaticis praeceptionibus, neque tantum veterum latinorum scriptis utamur; sed utraque sapienter ac provide in instituendis pueris conjungamus. Quid, quod latinae linguae syntaxis facilius ac citius praeceptorum ope, quam latinorum scriptorum lectione discitur? Qui enim syntaxim discere una lectione velit, omnia latinorum scri-

pta legat est necesse, ut ex omnibus eamdem eruat ac depromat. Syntaxis enim non in unius, vel alterius, sed in omnium latinorum scriptis est longe ac late diffusa. Qui vero syntaxim discere praeceptis velit, ista quidem calleat, at non omnium veterum scriptorum libros diligenter legat est necesse. Atqui primum illud et ingenium maximum et judicium acerrimum et immensum prope laborem et longissimum temporis requirit spatium: quod minime postulari ab altero aperte patet ex eo vel maxime, quod praeceptorum ope universa syntaxeos ratio brevissime traditur atque explicatur. Utrum ergo vos malle dicitis, incredibili sane temporis operaeque compendio ad latinae linguae cognitionem pueros pervenire; an labore quidem improbo per omnes aureae latinitatis auctores aut nullo, aut certe exiguo cum fructu diu multumquè vagari? Ut rem clarius intelligatis, ponite vobis ante oculos facultatem illam, quae in notis terrarum omnium regionibus describendis versatur, quamque propterea Geographiam veteres appellaverunt. Sunt, qui, ut urbium formas et mores gentium cognoscant, disjunctissimas terras peragrent: sunt, qui partim ex accuratis locorum descriptionibus, partim ex eorum commentariis, qui illa eadem itinera confecerunt, omnium hujusmodi rerum nihilo minus utiliter scientiam hauriant. Illi et longissimis itineribus et diuturnis laboribus defatigantur: isti domesticos intra parietes Geographiam di-

scere sedentes possunt. Simile quiddam in re grammatica contingit. Neminem vestrum latere arbitror, immensa quidem, docente Tullio, hujusce artis esse spatia, quae, tamquam orbem grammaticum, plurimi industrii atque ingeniosi homines perlustrarunt. Illi historicos et poetas, illi oratores et philosophos, illi omnes scriptores veteres, ne graecis quidem praetermissis, adeundos sibi cognoscendosque penitus existimarunt. Diuturno veluti confecto itinere, nobis universam rei rationem quodammodo descripserunt, et grammaticis tamquam expressam tabulis ediderunt. Has cognoscere quam exigui laboris, quam non diuturni temporis esse deprehenditur, si cum illa longissima scriptorum omnium pervestigatione comparetur? Atqui nos hasce veluti tabulas cognoscendas pueris ediscendasque proponimus: contra novae institutionis propugnatores jubent, vix suis insistentes pueros vestigiis, ingenii viribus infirmos, ignaros hominum et locorum, tamquam e patrio solventes littore, per omnes grammatici orbis partes circumferri, ut quum se olim jam senes facti domum receperint, eam grammaticam doctrinam referant, quam sibi domi comparare facile brevique tempore potuissent. Videte igitur, Auditores, utri magis litteris puerisque consulant; illine, qui unam latinorum lectionem probant, an nos, qui praecepta cum lectione conjungendam esse existimamus?

Ad gallicae vero linguae et hispanicae exemplum

quod attinet, obtrectatores certe nostri vel ignorant, vel ignorare simulant, quam dispar inter illas ac latinam ratio intercedat. Illae quidem multum vocibus, syntaxi vero ab italica sane multum non differunt: ista plurimum ab italica non solum vocibus, sed etiam syntaxi distat. In illis nosse voces est ferme satis: in ista ferme nihil. In illis igitur non praeceptis, sed lectione voces cognoscuntur: in ista vel praeceptis, vel lectione syntaxis discitur. Atqui nos plane aperteque ostendimus, latinae linguae syntaxim facilius ac citius praeceptorum ope, quam latinis scriptis addisci. Nihil est igitur, cur nobis gallicae et hispanicae linguae exemplum objiciatur.

Sed illud genus hominum relinquamus, qui grammaticam ipsam petunt artem, et latinam linguam non in grammaticorum libellis, sed in veterum latinorum scriptis discendam esse contendunt. Accedamus ad alterum genus hominum, qui ipsius artis tradendae rationem respuunt, et latinam linguam praeceptis italico sermone scriptis discendam esse arbitrantur.

Atque ut ulla sine cunctatione istos audiamus: Nae, ipsi ajunt, vehementer errant magistri plurimi, qui grammaticas in scholis praeceptiones tradentes, non eas italico, sed latino scriptas sermone docent. Quid adolescentulorum studiis contrarium magis? Iis enim obscura per obscuriora panduntur. Regulae enim, quae ad auctorum libros intelligendos institutae sunt, eadem

indigent interpretatione, quam latina scripta requirunt? Quid autem absurdius, quam linguae intelligentiam quaerere a praeceptis, quae lingua eadem, quae nondum intellecta sit, proferantur? Quis non eum condemnandum jure putaret, qui latinum hominem graece discere cupientem praeceptionibus graece scriptis uti juberet? Haec ferme idem ille, quem superius nominavi, Gravina: haec apud sexcentos, qui sibi sapere videntur, repetita invenies.

Vehementer igitur, si istos audias, magistri plurimi in Italia errant? Sic certe inquiunt scriptores exteri, qui cum magnifice jactant sese, tum nobis prope contumeliose atque impudenter insultant. Sic certe ajunt subscriptores itali, qui italici nominis ac suae dignitatis flagitiose obliti nationibus ita exteris adulantur, ut, quicumque novae opinionis ex Anglia, ex Batavia, ex Gallia rumor affertur, hunc accipiant illico et amplectantur. Nos vero Itali hoc feremus, quotidie mitti e transalpinis ac transmarinis oris non modo archetypas comendi capitis et ornandi corporis et modestiae italicae corruptrices pupas, sed levissimos etiam atque impudentiae plenissimos libellos quosdam, quibus universa, quae ab italis instituta sit, humanitatis tradendae ratio aperte petitur, ac libere emendatur?

At enim in excipiendis doctrinis non hominum sive exterorum, sive domesticorum, sed veritatis unius

atque utilitatis ratio est habenda. Quid autem magis veritati consonum, quid puerorum rationibus utilius, quam ea, quae ab hominibus illis sive exteris, sive domesticis de re grammatica afferuntur? Quis enim inficiari queat, rationi consonum esse, quod ipsi a nobis petunt, ut, quae ignota sunt, sermone ignoto non tradamus? Quis negare audeat, puerorum rationibus utilius esse haec italice tradi, quam latine?

Ego vero non is homo sum, qui omnia, quae ab exteris afferuntur hominibus, rejicienda esse putem. Proferant ipsi utilia ac vera: excipiam ultro et amplectar. Sed quis hoc jure postulet, ut quaecumque ipsi proferant, sive vera, sive falsa, sive utilia, sive noxia, quia proferuntur ab exteris, admittantur? Profecto nemo. Ergo illud concedatur oportet, ut, quae ipsi falso ac perniciose de re grammatica proferunt, a me continuo repudientur.

Ignota, ajunt, sermone ignoto tradi non debent. Atqui primum non minimam latinae linguae partem nonnisi latine posse adolescentibus tradi, inficiatur nemo. Nam quì possunt aliter, ac latine, aut nominum declinationes, aut verborum conjugationes discentibus a doctore pueris proponi? Quum vero iidem pueri in componendis atque inter se comparandis nominibus atque verbis a praeceptoribus exercentur, an ullus est, vel esse potest vernaculae linguae locus? Nullum profecto esse fatebuntur, qui vel prima gram-

maticae elementa norint. Ergo prima haec, quae certe non minimam grammaticae artis partem continent, ita necesse est latine pueris proponi, ut, si aliter fieret, omnis iis esset ad latinae linguae cognitionem aditus interclusus. Sunt enim haec totius artis quasi vestibulum, a quo si pueri non evadant, frustra ad intima artis penetralia contendent. Falsum itaque esse fateamur necesse est, quod nostri obtrectatores docent, ignota nempe sermone ignoto tradi non debere; atque ita plane aperteque falsum, ut hactenus quidem nullo nobis pacto succenseant: vident enim ita fieri oportere, nec se aliter fecisse ac facere animadvertunt.

Quod quum ita sit; quid est, cur nostri nos obtrectatores insectentur, quod latinae linguae praecepta latino sermone edita tradenda esse putemus? An prima illa tam multa et nomina in tot casus declinata, et verba in tot tempora modosque inflexa, quae discere pueros jubemus, latina non sunt ac discentibus ignota? Si vero ignota sunt, cur non reprehendimur, qui non nota vocabula iis, quibus notam latinam linguam esse volumus, ediscenda proponimus? Ajunt, quod ita ignota proponimus, ut, adhibita statim ignotorum interpretatione, ea ipsa, quae ignota erant, nota pueris faciamus. Atqui etiam reliqua ejusdem artis, ignota illa quidem, similiter discentibus interpretamur. Itaque vel nobis concedendum est, ut hoc

recte facere possimus, vel in primo illo castigandi corrigendique sumus. Etenim tam prima illa elementa, quam reliqua ejusdem artis praecepta latina sunt et ignota; et quemadmodum illa, sic etiam ista interpretatione innotescunt. Quare illud firmum fixumque sit, ignoto artem grammaticam sermone conscriptam notis juventuti vocibus tradi. Quod si idem in lingua aut graeca, aut angla, aut germanica, aut alia quacumque fiat, idem plane consequi necesse est: ut omnino nihil graecae linguae exemplo, quo isti utuntur, urgeamur.

Intelligo, Auditores, latinae grammaticae hostes iisdem laqueis, quos injicere aliis vellent, sese misere implicuisse. Sed qui semel prava quadam animi cupiditate abrepti constitutos temperantiae fines transiliunt, aegre admodum continere se possunt, quin multo majora imprudentiae ac stultitiae praebeant argumenta. Videamus igitur, quibus iterum laqueis induantur. Praecipiunt uno omnes ore, latinas litteras discere incipientibus latinum esse scriptorem aliquem praelegendum atque explanandum. Ipsi quidem in deligendo scriptore dissentiunt maxime; at in eo conveniunt, quod scriptor latinus aliquis sit explanandus. Mirandum est sane, qui grammaticos latinos libros e puerorum manibus ob eam causam excusserunt, quod ars latine scripta intelligi a discentibus latinam linguam non possit, eorum neminem animadvertisse, ob eam-

dem causam nullos omnino latinos scriptores abs se iisdem permitti oportere. Sed hoc usu ipso venire saepe videmus, ut qui non ratione, sed pravo aliquo studio in reprehendendo ducuntur, ab iis non aliena, sed sua, vel sua non minus, quam aliena peccata reprehendantur.

Jam quoniam id obtrectatores nostri agunt, ut suo nos exemplo ignota ignotis linguis adolescentibus proponamus, quemadmodum illud primum demonstravi, falso ab ipsis dici, quod contra grammaticam latinam proferunt; nunc illud alterum, quod proposui, ostendam, perniciose ipsos cum pueris agere, quum latinas grammaticae artis praeceptiones reprehendunt atque insectantur. Etenim, Auditores, praeceptiones hujusmodi non modo, adhibito interprete, non obsunt, verum etiam adolescentibus prosunt. Et sane omnis grammaticae artis latine scripta doctrina duobus tantummodo constat et continetur; praeceptis et exemplis. Exempla certe sunt e probatissimis latinis auctoribus petita, quibus ea, quae in ipsis tradita sunt praeceptis, luculentissime confirmantur. Eritne quisquam tam impudens, qui etiam lectissima veterum latinorum loca a magistris coram pueris explicata obesse quidquam, ac non multum prodesse potius latinitati comparandae affirmare audeat? Ad praecepta vero quod attinet; quamquam haec non a veteribus, sed a recentioribus viris conscripta sint; tamen ab iis latino

sermone sunt explanata, qui non recentibus, sed vetustis optimis latinorum vocibus utuntur. Etenim, ut de Alvari tantum praeceptis dicam, qui unus a tot clarissimis Italiae scholis exceptus fuit, nihil istis concinnius mihi, Latinius nihil et elegantius posse videtur fieri. Nam, si quis aetatis illius aureae artem grammaticam puerorum ingeniis accommodatam scribere voluisset, haud satis scio, an multo id melius ac felicius praestitisset. Quod mirum nemini videri debet. Libellus enim, qui Emanuelis Alvari inscriptus nomine circumfertur, rebus quidem, quas continet, ipsum Alvarum auctorem noscit; at rerum ordine et compositione Horatium illum Tursellinum, cujus multa elegantissime scripta et ad veterum latinorum laudem ac[illegible]entia sapientissimi quique homines suspexerunt. [illegible]ue adolescentes, qui istius grammaticae artis ope [illegible]nam addiscunt linguam, non exemplis modo, quae [illegible]batissimis ex auctoribus decerpta sunt, sed praeceptionibus etiam, quae sunt ab homine, eruditorum omnium consensu, elegantissimo conscripta, maxime adjuvantur. Videre igitur, utrum utilius sit sola pueris ac tamquam nuda praecepta tradere; an vero eos sic edoceri, ut una eademque opera addiscant et latinae linguae praecepta, et latina vocabula, quibus praecepta ipsa continentur, et probatissimorum scriptorum exempla, quibus praecepta eadem confirmantur.

Quae quum ita sint, quonam fato fieri dicam,

Auditores, ut grammaticae omnes, quae latino sunt conscriptae sermone, ab italorum etiam gymnasiis ejiciantur? Nam sic mihi Superos propitios velim, ut longa experientia didici, adolescentes illos, qui latinis fuerunt olim instituti praeceptis sic ad rhetores adcessisse, ut facile ad recte scribendi laudem devenerint: eos contra, qui italico sermone scriptas grammaticae artis praeceptiones audiverunt, fere omnes sic in scribendo interpretandoque haesitasse, ut vix prima artis elementa cognovisse satis viderentur. Intelligo equidem, mirari vos, Auditores, haec a me hodierna die proferri, quasi illud nesciam, quod nemo ignorat, ex Firmano hoc Lyceo latinas Alvari praeceptiones ejectas esse, et italicas in earum locum suffectas ac substitutas. Scio profecto: quì autem poteram id nescire? Et quamquam id, quod nulla fieri ratione posset, ignorarem; hoc mihi assidue dicerent adolescentes illi, qui, quum ad rhetoricam audiendam mittuntur, ne illa quidem tenent, quae ad componenda atque inter se comparanda nomina ac verba necessario in omnibus requiruntur. Dicerent doctores illi, quos audio quotidie, et quorum aequis lamentationibus quotidie intersum. Dicerent gymnasia illa, in quibus scientiarum arcana illis traduntur adolescentibus, qui ne ipsa quidem verba intelligunt, quibus eadem exprimuntur. Quid igitur in re tam nota dissimulatio valeret! Nam quamquam ego ex hoc ornatissimo ad dicendum loco

recepi olim, me nihil dicturum, quod novàm docendi formam induceret; hoc tamen ita recepi, ut incolume ac salvum id omne esset, quod certissimo plurium saeculorum judicio et communi utilitate probatum Majores nostri, prudentissimi viri, constituerunt. Itaque quum italae, quae misero fatalique casu sunt apud nos inductae, grammaticae artis praeceptiones novam huc rationem docendi attulerint; latinae autem in veteri ejusdem tradendae artis more institutoque contineantur; ad vos orationem converto meam, sapientissimi omnes latinae linguae Doctores, quorum ulla sine culpa, aut opera tantum est latinae linguae vulnus inflictum, quantum omnes, qui bono erga humanitatis studia animo sumus, jure optimo lamentamur. Erigite, erigite animos mentesque vestras, atque id enixe curate, ne a veteri ac recepta tradendae artis grammaticae ratione recedere diutius velle videamini. Suscipite iterum Emanuelem Alvarum, quem praecipue in tradendis grammaticis praeceptionibus auctorem ac ducem non sine magno adolescentum fructu sequi possitis. Hoc vos orant pueri, qui magis frugiferam institutionem quodammodo efflagitare a vobis videntur. Hoc altiorum disciplinarum doctores, qui juvenes latinam callentes linguam exoptant. Hoc Firmani Lycei dignitas atque gloria, quam Majores nostri non ad finitimas modo, sed ad longinquas etiam gentes propagarunt. Videte, oro vos obtestorque, ne ut illis pulcherrimum fuit,

nostro hanc Athenaeo gloriam relinquere; sic nobis turpissimum sit, conservare eamdem ac tueri non posse. Itaque ad idem omnes pro virili parte contendite, ut veterem tradendae artis grammaticae rationem revocetis, et pristinos docendi fructus amplissimos recuperetis. Dixi.

DE CICERONIS IMITATIONE

ORATIO XVI.

Quamquam multa sunt, Adolescentes Optimi, quorum oblata specie mirifice capior atque delector, quum in illam ascendo cathedram, a qua me docentem tanta vos frequentia atque alacritate auditis ac sustentatis; nihil me tamen magis ad omnes mei muneris partes pro viribus explendas movet, quam vestra illa cupiditas, quae vos ad Tullianam eloquentiae formam assequendam inflammato studio compellit. Reficit me sane loci dignitas et amplitudo, quae rebus ipsis, quae tractari a Rhetore solent, licet amplae sunt et illustres, majorem quamdam conciliare lucem amplitudinemque videntur. Recreant illi in tradenda in gymnasio eodem arte rhetorica decessores mei, juvenesque illi, qui processus in litteris antea maximos effecerunt: et quemadmodum docentium, qui ante me fuerunt, doctrina; sic et discentium, qui tantos in studiorum curriculo sunt nacti duces, progressibus vehementer me

incitari sentio et commoveri. Placent ordines illi subselliorum et gradus: placent ipsa stipata subsellia: placet illa celebritas atque frequentia, vultusque vestri in me unum conversi, qui magnum quiddam atque praeclarum agitare mente et cogitatione videntur. Quis umquam doctor quum ista cogitet, quum ista videat, non erigatur, non causamque justam se habere putet, cur et voce et actione et animo excitetur, tantumque velit contendere, quantum et amplitudo loci, et hominum splendor, et discipulorum copia et ingenium tacita quadam voce efflagitare videntur? Ego vero, Adolescentes Optimi, non his tam laetor rebus mihique gaudeo, quam quod vos videam sic erga eloquentiae studia animatos, ut unum vobis Ciceronem legendum, atque assidua versandum manu existimetis. Nam si, Quintiliano teste, ille profecisse multum dicendus est, cui valde Tullius placuerit; statuite vos, quid mihi sit de vestro in litteris progressu blanda quadam animi voluptate sperandum. Qua quidem ego spe delinitus, quod jamdiu facere gestiebam, de Ciceronis imitatione esse mihi agendum hodierna die putavi. Res est hujusmodi, quae vestros maxime animos inflammare ad audiendum debet: agitur enim de praestantissimo oratorum principe commendando, de avita dicendi laude retinenda, de via denique omnium facillima, qua uberrimi a vobis eloquentiae fructus percipiantur.

Ut rem omnem facile expediam, sic ego, Ado-

lescentes ago: Aut nullus profecto est imitationi locus relinquendus; aut, quum de eloquentia sit sermo, unum sibi Tullium ad imitandum proponere discentes debent. Qui primum vellet, vos profecto ab eloquentiae laude non retardaret modo, sed longissime quoque abesse juberet. Nemo enim seu mediocris, seu bonus, seu optimus evadere orator potest, qui aliquam non concipiat mente atque animo dicendi formam, qua expressa verbis aliqua ipse ratione possit auditorum animos et docere apte et suavitate perfundere et affectibus concitare. Sed hujusmodi dicendi formam, quae probari aliqua ratione queat, quis umquam concipiat animo adolescens, qui nullo sibi proposito ad imitandum exemplo, nullo adjutus duce, nullo magistro edoctus caeco veluti sive naturae, sive ingenii impetu sit abreptus? Quod si praeclarissimi viri summisque ingeniis praediti, ut ad eximiam scribendi laudem devenirent, sibi omnium optimos, qui aliqua in arte excelluerunt, imitandos esse existimarunt, et Cicero quidem ad Demosthenem, Virgilius ad Homerum, Horatius ad Pindarum, aliique ad alios se contulerunt scriptores; quid tandem ingenii viribus plerumque infirmi, impatientes laboris, judicio acerrimo destituti sine imitatione efficere adolescentes possent? Itaque certum exploratumque sit, aliquem esse imitationi locum relinquendum, si favere litteris atque adolescentum bono velimus. Quo constituto, pro-

fecto illud consequitur, ut quum de eloquentia agatur, unum sibi Tullium ad imitandum proponere discentes debeant. Nam, relicto imitationi loco, is certe debet quacumque in arte a discente quovis ad imitandum sibi proponi, qui eo artem ipsam perduxit, quo pervenire ulterius nullo potuisse modo videatur. Atqui si res omnes inquirere diligenter velimus, hujusmodi esse Tullium intelligemus, qui eo eloquendi vim facultatemque perduxit, ut nihil ipsa praestantius possit, excellentius nihil inveniri.

Hoc ne magnificentius, quam verius a me prolatum esse intelligatis, Adolescentes Optimi, Tullianae eloquentiae primum naturam et indolem, existimationem deinde ac famam, qua perpetuo viguit, consideremus.

Atque ad eloquentiae naturam indolemque quod pertinet; potestne quidquam sublimius Tulliana dicendi forma perfectiusque a nobis cogitando fingi? Quum enim huc omnes referri oratoris conatus debeant, ut nimirum ipse audientium doceat animos, et affectibus moveat, et voluptate demulceat; quis umquam sic rhetoricos omnes pertractavit locos, qui vel docendi, vel commovendi, vel delectandi artificio cum Cicerone possit conferri? Quis enim eo in docendo praestantior, qui, quum narrat, accommodate ad fidem faciendam narrat; qui, quum probat, argumentis exquisitis invictisque probat; qui, quum disputat in utramque partem interdum

anceps, miro disputat artificio, qui, quod probandum statuit, aperte proponit, definit presse, acute dividit, apte disponit, scienter, probabiliterve concludit? Quis eo in movendo fortior, qui sic voluptate sensus demulcet, nihil ut blandius in aures influat, nihil ut altius insideat menti; qui sedatos affectus concitat, concitatos sedat atque componit; qui permiscet animos, atque arbitratu suo flectit ac regit, et ad quodcumque libeat impellit? Quis eo in delectando suavior, qui de horridis nitide, de obscuris illuminate, de jejunis plene, de asperis leniter, de severis hilariter, de rebus omnibus definite, explicate, apposite, luculenter numquam non agit? Nam quid singillatim de toto orationis cultu ac virtutibus dicendum putem? Proh Deus immortalis! Quae verborum elegantia! qui delectus! qui splendor! qui nitor! Quae membrorum devinctio! quae comprehensio! quae conclusio! Quae dictorum jucunditas! quae festivitas! qui lepos! Quae sententiarum gravitas! quod acumen! quae veritas! Quae numerorum suavitas! qui concentus! qui sonus! Quae mira his ipsis in rebus varietas atque distinctio, nihil ut compositione aptius, elegantia concinnius, jucunditate dulcius, suavitate conditius, ac figurarum varietate distinctius ante oculos obversetur! Quae quidem nisi ita magna esse fatear, ut nihil ad Tullianae eloquentiae laudem addi a nobis posse videatur, amens sim: sed tamen, nisi me blandus quidam hodierna die fallat a-

mor, multo mihi majora occurrunt, quae supra caeteras dicendi formas, quarum aliae ab aliis usurpantur, eloquentiam Ciceronis erigunt et extollunt. Ponite vobis ante oculos, Adolescentes Optimi, quae in aliis scriptoribus sive eximiae doctrinae, sive excellentis eruditionis, sive inusitatae facundiae, sive cujusque singularis ornamenta virtutis suspiciuntur. Nihil horum profecto occurrit, quod nos tacita quadam admiratione perculsi in uno Tullio non intueamur. In hoc et lepor Periclis, cujus in labris sessitavisse veneres scripsit Eupolis; et jucunditas Xenophontis, cujus ore loquutae Musae feruntur; et sublimitas Teophrasti, qui a loquendi divinitate nomen invenit; et amplitudo Platonis, cujus sermo Jove ipso dignus est habitus; et vis Demosthenis, qui obvia quaeque rapienti flumini comparatur; et suavitas Isocratis, quo ne Athenae quidem ipsae esse magis Atticae videantur. In hoc et eruditio Catonis, et gravitas Africani, et lenitas Laelii, et canorum profluensque Carbonis dicendi genus, et vehementia Galbae, et Scauri auctoritas, et Gracchi ubertas, et pellucens Calidii oratio, et concinnitas Tuditani, et pura Catuli latinitas, et festivitas Caesaris, et subtilitas Cottae, et contentio Sulpitii, et juris peritia Scevolae, et disertum Antonii, et Crassi magnificum orationis decus, et copiosa Hortensii in omnem partem eloquendi facultas admirandum plane in modum elucent. In hoc et Dialecticorum acumen,

et Philosophorum scientia, et Jurisconsultorum peritia, et Historicorum eruditio, quaeque divisa in aliis eminent ornamenta collecta egregie suspiciuntur. Quis itaque inficietur umquam, Adolescentes, eo esse a Tullio eloquendi vim facultatemque perductam, ut nihil ipsa praeclarius, sublimius nihil excogitari possit ac fingi?

Hactenus Tullianae eloquentiae indolem ac naturam inspeximus: age jam existimationem ac famam, qua perpetuo viguit, strictim ac breviter perpendamus. Fuitne quisquam umquam eloquentiae parum studiosior, quacumque demum aetate vixerit, qui eloquentissimi viri opera paranda sibi non curaret, qui non summa cum voluptate legeret, qui nova quadam admiratione perculsus non suspiceret ac praedicaret? Ad ea, quaeso, cogitationem vestram conferte tempora, quibus Cicero floruit, atque inde per aetates singulas descendentes ad haec, quibus ipsi vivimus, mentes paullisper vestras adhibete. Nolite vos existimare, id Ciceroni similiter accidisse, quod aliis fere scriptoribus usuvenire novimus, ut serum ipsorum nomen post funera sensim crescat ac propagetur. Omnibus ipse, dum vixit, admirationi fuit: omnium ad sese studia convertit: fuit omnium laudibus celebratus. Neque vero ejus fama unius Latii finibus se continuit, sed in Graeciam quoque incredibili se celeritate diffudit, et, quo Romanorum arma terra marique facile penetrarunt, pervenit

ipsa etiam et feliciter enavigavit. Alii quidem aliis mox aetatibus viguerunt scriptores: unus tamen Cicero nullo non tempore omnium maxime viguit ac floruit: unus est habitus, qui oratoribus illis, qui ante se extiterunt, eloquentia longe anteiret: unus, qui disertis hominibus, qui consequentibus deinde aetatibus successerunt, non modo ejusdem comparandae laudis spem omnem praecideret, verum etiam desperationem quamdam afferret. Probata quidem fuit olim Senecae scribendi ratio, probata Plinii dicendi forma; sed eorum sensim defecit fama, et ab eis proposita scribendi ratio paullatim viluit. Novum quoddam eloquentiae genus proxima nobis inductum aetate fuit, atque ita inductum, ut, qui rhetoricae studerent arti, sibi veluti ducem sequendum Tacitum arbitrarentur. Sed ea vel ipsa aetate sapientissimi quique viri irridendos illos putarunt, qui inaudito illo atque novo eloquentiae genere delectarentur. Quid vero Cicero? Viget adhuc in bibliothecis, ubi tamquam eloquentiae pater ac princeps a tot non veteribus modo, sed recentibus quoque scriptoribus celebratur. Viget in Lyceis publicis, ubi sapientissimorum doctorum voce summis in caelum laudibus extollitur, et litterarum cupidae juventuti veluti perfectissimum omnium oratorum exemplar proponitur et commendatur. Viget in eruditorum hominum linguis atque sermonibus, qui, quod Quintilianus olim posteritati mandavit, hoc jure inculcant ac repetunt, elo-

quentiam in Cicerone virium suarum periculum fecisse, et, quousque posset, expertam esse; eo autem venisse, quo se quisque pervenire posse desperet. Itaque quum et imitationi locus esse debeat, et nihil eloquentia Tullii praestantius queat inveniri; quid reliquum esse potest, Adolescentes Optimi, nisi ut unum vobis Tullium ad imitandum sedulo proponatis?

At enim, dicet quispiam, non omnis eamdem dicendi formam aetas probat. Quemadmodum enim Horatius ait, *ut sylvae foliis pronos mutantur in annos*; sic novis aetatibus succedentibus novae dicendi formae succedunt.

Non equidem, Adolescentes, negaverim, ab aliis aetatibus alias eloquentiae formas probari. Sed neque negari a quovis illud potest, eam nos debere dicendi formam amplecti, non quae sensim apud aequos rerum aestimatores viluit ac defecit; sed quae semper viguit ac floruit, quae semper omnibus admirationi fuit, quam denique nec diuturnitas temporis, nec invidorum obterere obtrectatio potuit. Atqui dicendi illae rationes, quae a Tulliana forma recedunt, atque aliquando receptae sunt ac probatae, viluerunt sensim ac defecerunt: ea contra, quam Tullius exhibet, numquam concidit, et quamdiu vera eloquentiae species adamabitur, tamdiu illa non interitura umquam permanebit. Et sane, Adolescentes Optimi, vivunt adhuc viventque posterorum memoria sempiterna sapientissimi illi et omni lau-

de commendatissimi viri, qui in Italia praesertim aureo illo saeculo sexto decimo tanta florentes copia Ciceronem impense amarunt, assidue legerunt, unum sibi ad imitandum tamquam exemplar optimum proposuerunt. Quid porro caeteri, qui sive semel animo imbibita opinionis perversitate, quod nollent, sive necessitate, quod non possent, sive quod receptae dicendi consuetudini, ad quam se fingere oratores plerumque solent, inservire mallent, aliam sibi ineundam esse viam censuerunt? Jacent profecto prostrati ac perditi, perculsi et obruti, despecti ab omnibus atque contempti. Eorum nomen defecit, existimatio viluit, librique omnes foeno et alga viliores facti vel in bibliothecis obsiti delitescunt, vel ad cerdones, ad lixas, ad lanios amandantur.

Urgent nonnulli tamen ac dicunt, illud a nobis eloquentiae genus eligendum esse, quod nostro magis accommodatum ingenio sit, et nostrae magis indoli attemperetur. Quemadmodum enim, ut Parthenius ait, non tanta mercium est, quanta varietas disciplinarum; sic non tanta lineamentorum oris in homine, quanta ingeniorum extat dissimilitudo.

Qui haec ajunt, ii certe Tullianae eloquentiae naturam atque indolem minime perspexerunt. Haec enim est hujusmodi, ut cujusvis hominis, qui disertus et eloquens fieri cupiat, ingenio ac viribus accommodetur. Erigite ergo animos, Adolescentes Optimi,

quum Tulliana vobis eloquentia proponitur, ac vobis imitandus Cicero exhibetur. Magnum quiddam hoc est, et longe majus, quam ut a vobis percipi cogitando possit. Unus enim Cicero ad quodcumque demum vos natura ferat dicendi genus, ea vobis omnia suppeditabit, quibus cogitata vestra elocutionis optimo expolita modo proferatis. Quod enim excogitari genus dicendi queat, cujus praeclara vobis exempla vir eloquentissimus non suppeditet? Unus ille omnes dicendi formas arripuit, expressit, perfecit. Unus et vehemens et lenis et temperatus sic orationi moderatur suae, ut eam pro cujusvis ingenii modo atque indole efformet ac fingat. Unus magnificus in laudando, acerbus in vituperando, acer in reprehendendo, subtilis in disputando, commotus in agendo, gravis in amplificando, festivus in jocando, in ornando expoliendoque copiosus. Quamcumque igitur dicendi formam natura postulet vestra, eam vobis Cicero exhibebit. Docent hoc oratores illi clarissimi, qui quamquam natura sua atque indole diversum dicendi genus expresserint; iis tamen singuli ornamentis eminent, quae in ipsos a Tullio tamquam a purissimo eloquentiae fonte profluxerunt. Ab hoc in Perpinianum vehementia et copia, in Muretum jucunditas et suavitas, in Sigonium concinnitas et amplitudo, in Palearium vis et contentio, in Contuccium lepor et subtilitas, in Rinaldum festivitas et eruditio, in Lagomarsinium nitor et venus, in Parthenium uber-

tas et gravitas redundavit. Nihil est igitur, cur, objecta nobis ingenii atque indolis varietate, a Tullianae eloquentiae imitatione prohibeamur.

Perstant aliqui morosi nimium ac difficiles, ajuntque, non unum saltem esse a nobis Tullium imitandum, sed caeteros etiam sapientissimos viros, qui non ingenio modo, sed etiam summa dicendi laude praestiterunt. Hoc ut probent, ad Ciceronem ipsum nos provocant, quem scimus, Quintiliano teste, non modo Demosthenem inter graecos, sed Platonem, sed Gorgiam, sed Isocratem, sed Hyperidem, sed Lysiam; inter latinos autem et Sulpitios et Antonios et Crassos et Catulos ad imitandum sibi proposuisse. Quod ergo Ciceroni licuit, id nulla ratione nobis prohibendum esse concludunt.

Recte scilicet, ut hujusmodi morosi homines consueverunt. At mihi respondeant velim: Quum sapientissimos nobis viros imitandos exhibent, scriptoresne latinos, an italos adolescentibus proponunt? Latinos, ajunt. Atqui nihil profecto eorum, quae diserte Antonius, quae magnifice Crassus, quae copiose Hortensius, quae summa cum laude caeteri aetatis aureae agebant viri, ad nos umquam pervenit. Unus ergo occurrit Cicero, quem suspicere, quem legere, quem imitari possimus. Nisi vero quis forte putet, eos esse a nobis oratores legendos et imitandos, qui consequentibus deinde aetatibus floruerunt. Hoc si quis vellet,

non oratione quidem, sed risu potius refutaretur. Nemo enim umquam, relictis fontibus, facultatum rivulos adeundos esse existimavit. Qui vero nobis aut Livium, aut Caesarem, aut Cornelium, aut Sallustium, aut Plautum, aut Terentium adolescentibus ad imitandum proponeret; nae ille a recta docendi ratione penitus aberraret. Quid enim Plauti Terentiique comoediae, quid Livii, aut Caesaris historiae, quid Cornelii et Sallustii scripta ad eloquentiam conferant adjumenti? Quemadmodum igitur olim Tullius oratores illos contemnendos censuit, qui Thucydidem, egregium quidem historicum, at nullo modo oratorem dicendo exprimere conarentur; sic doctissimi postea viri despiciendos illos existimarunt, qui, quum ad eloquentiam contenderent, aut Livium, aut Caesarem, aut Cornelium, aut Sallustium, aut Terentium, aut Plautum, scriptores quidem egregios, sed nequaquam oratores, imitatione assequi voluerunt. Quod si non de eloquentia assequenda, sed de una tantum loquutione paranda velimus agere, an eam, quae ad historicos, quae ad comicos, quae ad aliud quodcumque dicendi genus attinet, cum ea, quae ad oratores pertinet, conjungendam esse arbitrabimur? Videant, quaeso, qui tam perversa opinandi ratione aguntur, in quam tandem loquendi formam adolescentes perducant. Quaero enim ab iis: utrum scriptores omnes, quos nuper honoris causa nominavi, scribendi dignitate et elegantia et artificio pares excellant; an

vero loquutionis varietate inter se differre existimentur? Primum certe affirmare ipsi non poterunt. Alterum ergo dicant est necesse. Itaque eo tandem recidunt, ut contendant, facilius et excellentius, quam ab iis, qui unam Tullii eloquentiam proponunt, institui adolescentes ab iis, qui illud dicendi genus exhibent, quod et oratorem et historicum et comicum et alium quemcumque scriptorem exprimat; sive potius, quod neque oratorem, neque historicum, neque comicum, neque alium quemcumque scriptorem, sed illum Horatii pictorem, qui *humano capiti cervicem jungere equinam* velit, imitatione confingat. Quod quidem est ita inconcinnum, ita absonum, ita absurdum, nihil ut majus excogitari possit. Quis enim est tam rudis ignarusque rerum, qui non statim percipiat, quam difficile sit, multos et varios atque inter se omnino dissimiles scriptores ita legendo expendere, ut una inde ac simplex sibique perpetuo constans efformetur oratio; non autem illud, quod modo exposui, Horatii monstrum exoriatur? Intellexit hoc Petrus Bembus, vir summo ingenio praeditus atque omni litterarum laude exornatus, qui multorum recte imitandorum difficultate perpensa, nullo fieri modo posse pronuntiavit, ut ejus oratio non dissimilis, non impar, non sibi diversa, inconstansque sit, qui multos assequi una scribendi ratione cupit. Quod si nonnulli praeclara mentis acie pollentes viri nonnisi multorum annorum studio multisque

a se susceptis laboribus illud tandem assequi potuerunt, ut ad propriam unius tantum scriptoris laudem, quo fieri modo posset, devenirent; quae tanta ingenii vis, quis tantus sufficiat labor, si multi, si omnes legendi sint, atque imitatione, quae laudem pariat, exprimendi? Itaque in una Tullii optima eloquentiae forma imitanda consistamus: in hac enim scriptorum omnium assequi ornamenta possumus, quae cum divisa in aliis, tum collecta in eo miramur universa.

Ergo, dicet aliquis, tu illud nos posse negas, quod Ciceroni licuit?

Ridicula quidem interrogatio. Cui ut satisfaciam, non est cur admodum laborem. Liceat igitur et tibi, qui me rogando interpellasti, ut Ciceroni licuit, scriptores quosque probatissimos legere et imitari; sed ea conditione liceat, si pari ingenio, si pari scribendi labore atque exercitatione adjuveris. Haeresne, dum ista audis, suspensus, dubius, ac nutans? Agnoscis igitur, quantum te inter atque illum discriminis intercedat. Quid ergo mihi Ciceronem nominas, qui a Vellejo Paterculo vir ingenio maximus, qui a M. Seneca ingenium, quod unum par imperio populus romanus habuit, qui ab Aquilio Gallo Rhetoricae omnium peritissimus, qui a Julio Caesare latinae princeps copiae et inventor, qui a Lactantio perfectus orator et summus philosophus, qui a S. Hieronymo eloquii flumen, qui a doctissimo sanctissimoque Augustino modo ma-

ximus orator, modo romani auctor eloquii, modo magnus eloquentiae princeps appellatur? Quid ergo mihi Ciceronem nominas, in quo, licet ipse assiduis in negotiis ferme gravissimis occuparetur, tanta fuit scribendi exercitatio ac labor, ut neque in ludis, neque in communi otio fuisset umquam otiosus? Quid ergo mihi Ciceronem nominas, qui ingenio illo, quo erat praeditus, ac labore illo, quem assidue pertulit, scriptores omnes graecos latinosque vicit; qui unus habuit, quod in omnibus eminet; qui, quod omnibus defuit, unus explevit; qui perpolivit, quae rudia in aliis invenit; qui denique, quae egregie inchoata reperit, ad absolutionem adduxit atque perfecit. Desine igitur ad Ciceronis exemplum me provocare, unamque potius tibi, quam Tullius exprimit, optimam dicendi formam cogitando scribendoque propone, si ad illam eloquentiae laudem pervenire contendis, quam non obruere antiquitas, non obterere invidia, non lacerare umquam obtrectatio potest.

Vos vero, Adolescentes Optimi, in eo pergite elaborare, ut pene divinam Tullii eloquentiam, quantum quidem ingenii vestri imbecillitas patitur, assequamini. Ciceronem assidue legite, ac diurna nocturnaque manu versate. Fieri enim non potest, ut aures vestrae illarum periodorum numero non tribuantur, quae tanto artificio tamque admirabili concluduntur; ut mentes vestrae illa non adjuventur dicendi copia,

quae large sufficit, quo animi sensa et cogitata omnia facile et pulchre efferri possint ; ut ad illam denique, quam in ipso ubique expressam intuemur, optimam eloquentiae speciem paullatim quodammodo non accedatis. Nec vero vos aliquorum umquam imperitorum verba commoveant, qui eximiam Tullii praestantiam intelligentia non assequuti impurissimo ore omnis eloquentiae turbare fontem non dubitarunt . Illi quidem lacunas adeant, qui saluberrimam aquam a purissimis haurire fontibus recusant. Vobis isti patent , et non intermissa aquarum copia profluentes divitias illas suppeditant, quibus et vos optimi evadatis, et summam vobis in re litteraria gloriam comparetis. Quod si quis vestrum eloquentia itala delectatur , et praestantissimos Italorum omnium oratores , qui toto orationis genere ad Ciceronem maxime adcesserunt, legere et imitari discupiat, legat, per me licet, atque imitetur. At si illos assequendi cupido vos forte tenet, breviori, qua illi vos praeiverunt, insistentes viae, Ciceronem assidue legite atque ad imitandum vobis proponite . Hac institerunt via Ptolomaei Casae, hac Speronii et Varchii, hac Montemagnii et Badoarii, qui profanis eloquentiae generibus praestiterunt. Ab hac non recesserunt via praestantissimi ex Oratoribus, qui sacri sunt et appellantur, et e vetustioribus quidem Paullus Segnerus, e recentioribus vero Josephus Pellegrinus, quorum alter Italus Cicero, Parthenio te-

ste, doctorum omnium consensu habetur et nuncupatur; alter sic Tullianam exprimit dicendi formam, ut eam probet populus, et sapiens quisque admiretur. Huic si vos quoque viae insistatis, illa ipsa, quam vehementer cupitis, eloquentiae praestantia Italae sponte sua facile consequetur. Itaque si vestrum in litteris profectum, si latini sermonis elegantiam, si optimam eloquentiae speciem diligitis, unum vobis Tullium ad imitandum proponite, illud pro certo habentes, nihil hac imitatione esse vestris studiis utilius posse. Dixi.

ORATIO XVII.

Saepe miratus sum, Auditores, quid esset, quod gravissima jamdiu quorumdam hominum querela creverit atque invaluerit, quae cum in poeticae artis studia, tum in ejusdem artis propugnatores ac magistros acerbe invehitur, acriterque bacchatur. Haec sane perversa quadam opinandi licentia eo quoque demum progressa est, ut Poesim tamquam teterrimam eloquentiae hostem ejicere e scholis publicis ac deturbare velle videatur. Obstrepunt enim nostris quotidie auribus illae voces, quae a discipulorum praesertim parentibus usurpantur, quum ista proferunt: nihil sua interesse, quantum liberi in poetica, sed quantum in oratoria arte proficiant: hanc se in filiis optare ac velle, illam aversari omnino atque nolle; quum ea praesertim aetate simus, in qua nullum a poeticis sperari studiis emolumentum possit: nihil hinc se vehementius petere, quam ut illos a musarum cantibus arceamus, quo fa-

cilius possint oratoria in arte laborare, a qua uberiores, quam a poetica, fructus percipiuntur. Quod si flagitantibus ipsis vel inviti nos concedamus, hilares officiosique discedunt, et sibi liberisque suis tamquam de illustri parta victoria effuse ac palam gratulantur. Itaque in publicis versantur scholis adolescentes sane plurimi, qui ne pauca quidem soluta verba certo syllabarum vinculo inter se noverint colligare. Quo igitur poetarum ars nobilissima sese vertat tot undique imperitorum hominum vocibus et querelis abjecta propemodum et profligata? Ad vestrum aliquando sinum, Auditores, confugit, ut eam benevole excipiatis ac pene jacentem exciteris. Vos orat enixeque obsecrat, ut, quam nullo non tempore excoluistis, ab hostium furore atque impetu vindicetis. Hoc me hodierna die facturum polliceor, ut vos facile intelligatis, adolescentes omnes, qui ad publicas scholas confluunt, atque in grammaticae artis rhetoricaeque studiis versantur, sic debere institui, ut nullo umquam pacto sibi poetas negligendos esse arbitrentur.

Poeticae artis duo haec esse ajunt incommoda: alterum, quod latinitati officiat eorum, qui grammaticae student: alterum, quod eloquentiae noceat eorum, qui ad rhetores adcesserunt. Itaque sic statuo: poeticam artem utilem esse maxime tum ad latinitatem, tum ad eloquentiam et facilius comparandam et excellentius assequendam.

Hic ego si paucis agere, totamque criminationem una interrogatiuncula, tamquam machinam aliquam uno impulsu, labefactare velim atque pervertere, facile possim, Auditores. Quaeram enim: si vere ista dicuntur, quì fieri potuerit, ut publicis e scholis, in quibus non oratoria tantum, sed poetica etiam studia ab adolescentibus excoluntur, in omni temporum memoria eloquentes viri prodirent? Namque, ut ne ex hac urbe discedam, et non modo viventes nullos, qui multi sunt latinitatis et eloquentiae decus, sed ne mortuos quidem ullos, quos nosse plerique vestrum non potuerint, nominem; Joannem Baptistam Guerrerium et Antonium Benedictum ex hoc ipso gymnasio, quod mihi nunc est concreditum et commendatum, novimus extitisse: qui quidem cum poetarum studia adamaverunt, tum latinitatis et eloquentiae laude excelluerunt; atque ille quidem Florentiae, hic autem Romae rhetoricam artem eo successu docuit, ut non pauci ex utriusque ludo prodierint, qui et latinitate et eloquendi copia praestiterunt. Possem etiam illa commemorare, quae valere certe multum deberent: apud omnes paullo humaniores gentes nullo non tempore in gymnasiis publicis poetica studia fuisse exculta. Tum quaererem: Num aut in hujusmodi gymnasiis instituendis errasse; aut, semel institutis, non incommoda, si qua erant, in poetica arte tradenda postea vidisse; aut, si vidit, non ea corrigere voluisse tota antiquitas judicanda sit? Haec

ego omnia satis illa quidem firma pes sese atque illustria, verumtamen propterea quod nimis universe dici viderentur, non perinde, ut ego velim, ac res ipsa postulat, pondus apud nonnullos atque auctoritatem habitura, tacitus praetermittam.

Placet igitur ad rem propius adcedere, eamque penitius perscrutari. Ac primo quidem quod queruntur, poeticam artem latinitati eorum officere, qui grammaticae arti student; quid, si non officiat modo, sed etiam maxime prosit? num quoque illa erit e scholis publicis ejicienda? Atqui sic se res habet. Ad latinae linguae elegantiam, sine qua eloquentia nulla est, maxima a poetis praesidia conferuntur. Auctoritatene, an ratione hoc a me comprobari desideratis? Utraque, opinor. Audiatur ergo Cicero, auctor sane hac in re omnium locupletissimus, qui illud diserte scriptum reliquit, *omnem loquendi elegantiam expoliri quidem scientia litterarum, sed tamen augeri plurimum legendis oratoribus et poetis*. Et paucis interjectis loquens de subtiliori quadam latinae linguae ratione: *hanc*, inquit, *alit consuetudo sermonis quotidiani ac domestici, ac veterum oratorum et poetarum libri confirmant*. Hoc alibi inculcat saepius, ac fere semper ita oratores ac poetas in praecipiendo conjungit, ut lectionem oratorum a poetarum lectione numquam sejungat.

Quod si suis omnia momentis expendi a nobis velint, hoc profecto nos intelligemus; poetarum ser-

mone linguam fingi, atque elegantem fieri, venustamque reddi. Ex poetis enim pura illa emergit sensim latinitas, quae in ipsis maxime elucet, et sine qua ne carminum quidem lepos et concinnitas probaretur. Sunt nimirum poetae illi, quos aurea floruisse aetate novimus, genus quoddam hominum latinitatis purissimi magistri ac duces, quos omnium elegantissimos ille acerrimus latinitatis censor Laurentius Valla appellavit, ob eamque rem, quum de latinis quibusdam pugnaret vocibus, non modo ad Tullium, sed ad poetas etiam provocare Dacium non dubitavit. Itaque grammaticae quidem studeant adolescentes: audiant complures annos Priscianum, Servium, ac Donatum: percurrant Alvarum, Bonciarium perlegant, aliosque sexcentos homines, qui diligenter de grammaticis rebus accurateque scripserunt. Quid tandem illis tam diuturnus improbusque labor ad latinae elegantiam linguae comparandam admodum prodesse queat? Ut enim recte Quintilianus monet, quid aliud est grammatice loqui, quam latine omnino non loqui? Erit quidem sine barbaris ac soloecis vocibus sermo, sed ita a loquendi consuetudine remotus, ut nec latinus, nec vernaculus jure dici posse videatur. At vero si Plautum ac Terentium, si Virgilium atque Horatium, si Catullum et Propertium, caeterosque praestantissimos poetas legant, sic latinae addiscent elegantiam linguae, ut non loquendo solum, sed scribendo etiam valere ipsi existi-

mentur. Quid enim purius et elegantius Terentio legant, cujus mira est amoenitas ac venustas; tam jucundi vero lepores, ut affirmare Scaliger non dubitaverit, a paucissimis illos viris vel litteratis agnosci? Quid Plauto excultius ac venustius, quem latinae linguae et elegantiae principem Aulus Gellius appellat? Quid Horatio et Catullo, quid Propertio ac Tibullo purius atque praestantius, quos omnis est continenter aetas admirata? Nam quid de Virgilio eloquar, aut dicam? Quidquamne sermone ejus castigatius, quidquamne latinius esse potest? qui latinam linguam perfecit, qui perpolivit, qui, quam oratoriae dictioni absolutionem Cicero contulit, hanc sermoni poetico impertivit, cujus denique ore latinae ipsae musae, quod de molli Xenophonteo sermone scriptum est, loquutae dici jure possunt.

Itaque nemini mirum videri debet, Auditores, si poetas hujusmodi elegantissimos, tamquam optimos latinae linguae scriptores, cum Julio Caesare, cum Cornelio Nepote, cum Marco Tullio, aliisque latinitatis ducibus ac parentibus recensendos esse tum Hadrianus, tum Borrichius, tum Cellarius, tum Funcius, tum alii viri doctissimi censuerunt. Qui autem mirum videatur ei, qui noverit, summum illud latinitatis lumen, Ciceronem ex assidua Plauti ac Terentii atque aliorum poetarum lectione nitorem verbis ac sermoni elegantiam aspersisse? Quod si hoc praestitisse Tul-

lium accepimus, quid oratores caeteros effecisse credamus? Si tribuere fidem Quintiliano volumus, summi quique secundum Tullium oratores multa sibi ad latine scribendi laudem adjumenta petenda a poetis esse censuerunt. Eritne quisquam adhuc, qui poetarum studium, tamquam latinis addiscendis litteris perniciosum, ab adolescentibus illis, qui se grammaticos profitentur, removendum putent?

Quod si poetarum studium latinitati eorum, qui se grammaticos profitentur, non modo non obest, sed etiam maxime prodest; quid jam sentiendum de eloquentia eorum, qui ejusdem comparandae causa ad rhetores adcesserunt? Sic existimate vos, Auditores: ad eloquentiam facilius et excellentius comparandam plurimum poetarum studia conferre. Hoc dum dico, profecto nolim, id a me subtilius, quam verius dictum esse arbitremini, quasi velim arti poeticae ejusque cultoribus assentari. Itaque auctoritatem primum, ipsam deinde rem, qua de agimus, inspiciamus.

Atque ad auctoritatem quod attinet: Docuit hoc Aristoteles, qui elocutionem, in qua eloquentiae splendor ac decus potissimum collocatur, in oratores a poetis profectam esse censuit. Docuit Dio Chrysostomus, qui in oratione de dicendi exercitatione inscripta illud in primis monuit, ut Euripidem Tragicum et Menandrum Comicum assidue in manibus habeamus ac diligentissime perlegamus. Docuit Quintilianus, qui to-

tam oratoriam artem omnemque eloquentiae complexus vim a Virgilio atque Homero lectionem inchoari a pueris praecepit. Nam quid ego Tullium commemorem, auctorem hac in re omnium gravissimum, qui ad oratoris personam pro dignitate sustinendam non minus poetas, quam oratores legendos esse non professus est modo, sed exemplo etiam suo comprobavit? Tantum enim poetis legendis vir eloquentissimus profecit, ut ex iisdem oratoriam ipsam facultatem suam crevisse plurimum posteritati mandarit. Quod si oratoria Tullii facultas poetarum lectione crevit; quid nobis faciendum putabimus, quibus certe non tanta, quanta illi, sed admodum circumscripta ad eloquentiam facultas obtigit?

Jam vero si rem ipsam, qua de agimus, inspicere propius velimus, summam oratoribus cum poetis cognationem esse reperiemus. Quum enim omnes fateantur, tria esse, quae orator efficere dicendo debeat, ut audientium doceat animos, ut suavitate perfundat, ut aptis et accommodatis ad id, quod vult, obtinendum affectibus concitet; nihil est horum, quod non facilius et excellentius poetarum studio et lectione assequatur. Nam primum docendis auditorum mentibus ille magis idoneus existet, qui optimarum rerum cognitione pectus impleverit. Atqui, auctore Quintiliano, legendis poetis non modo animus heroici carminis sublimitate adsurgit, verum etiam optimis imbuitur. Non enim sen-

tentiarum vis, non verborum ornatus et copia tantum, sed omnigenae quodammodo eruditionis fontes a poetarum scriptis hauriuntur. Nam et Lollius ille apud Horatium: *Quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non, plenius et melius Crysippo et Crantore dicit*. Et Ioppas ille apud Virgilium *canit errantem Lunam Solisque labores, unde hominum genus et pecudes, unde imber et ignis*: nihil ut de vitae disciplina tam arduum sit, nihil de naturae arcanis tam abditum ac salebrosum, nihil de reliquis doctrinis tam abstrusum atque reconditum, quod poetarum monumentis non fuerit consignatum. Neque vero video, quomodo delectare homines queat, qui illud oratorum maxime proprium sublime atque illustre non assequatur dicendi genus, quod tantum supra vulgarem sermonem erigitur, quantum supra reliquorum infantissimorum hominum vulgus orator eloquens ac disertus effertur. Nam, eodem Quintiliano duce, et praefervidi quidam in rebus spiritus, et in verbis sublimitas, sine quibus omnis languescit oratio, maxime peti a poetis debent, qui divino quodam spiritu afflati, non tam ipsi, quam quaedam, ut ita dicam, in ipsis residens loqui divinitas videtur. Illud vero, quod in oratoris officio tertium ponitur, concutere audientes omni affectuum genere, eorumque intimos pertractare sensus, quis umquam dubitare possit, Auditores, quin certissima eorumdem concitandorum ratio a poetis praecipue addiscenda sit,

qui fere in iis permovendis toti sunt ac plane admirandi? In illis profecto alios iracundia furentes, vel amore inflammatos; alios avaritia contabescentes, vel luxu perditos; alios metu pallentes, vel gaudio laetitiaque exsilientes intueris. Quum itaque hac in re excellere orator praesertim debeat, ut mentes hominum, quo velit, facile impellat, has debet poetarum virtutes persequi, ut expeditam concitandorum animorum rationem sibi queat facile comparare. Intellexit hoc Cicero, qui, ut ipse de se profitetur, non modo poetas amavit valde, et assidue legit; verum etiam illa sibi ex ipsis delibanda putavit, quae populi judicumque mentes admirabili quadam vi percellerent et commoverent. Testis est Appius ille Caecus ab inferis excitatus, quem ad Clodiam, tamquam Clodiae gentis dedecus ac probrum lepide simul et acriter insectandam coram judicibus loquentem sistit. Testis est severa illa ac subtristis Caeciliani senis persona inducta, ut M. Caelium objurget, quod in nimiam Clodiae familiaritatem se dederit, quod se in ejus viciniam contulerit, quod, cognitis illius inlecebris, ab ea domo pedem non continuo retulerit. Testes illae voces partim a comicis, partim a tragicis desumptae poetis, quas ad ejusmodi personas vivis eloquentiae coloribus exprimendas usurpat. Quae quidem omnia adeo judices perculerunt, ut, impudentissimae foeminae moribus luculenter expressis, omnem veneni suspicionem a M. Caelio a-

moliretur, atque illum judicio ac periculo liberaret. Nam quid ego ipsum proferam Tullium vel parricidarum supplicium describentem, ut S. Roscium virum optime institutum a suspicione criminis removeret; vel poetarum vim exprimentem belluas quoque omnes cantu flectentem, ut Archiam in civitate retinendum ostenderet; vel P. Clodium ab inferis excitantem, qui tumultu, caede, ac flammis rempublicam iterum labefactaret, ut Milonem illius pestis interfectorem non poena, sed praemio potius afficiendum confirmaret? Itaque non sine causa doctissimi homines memoriae prodiderunt, maximá ab oratoribus et doctrinae praesidia et eloquentiae adjumenta a poetarum studiis petita esse.

Atque ut res, quae agitur, facilius innotescat, ponite vobis ante oculos Virgilium illum poetam praestantissimum, cui nihil eorum profecto deest, quae oratorem maxime inlustrant atque commendant. Uno enim Cicerone excepto, in quo summa sunt omnia, quae eminere in oratore praecipue debent, primae Virgilio, Parthenius inquit, unanimi eruditorum hominum consensu sententiaque deferuntur. Jure quidem, Auditores. Quid enim nos eloquentiae cupidi optare ac velle possumus, quod Virgilius non affluenter suppeditet? An illustria ornandi expoliendique exempla quaerimus? At nihil ornatius proferri atque expolitius potest toto eo eloquentissimo tractu, quo Italiam magnificentissime laudat, et supra reliquas totius terrarum

orbis regiones et salubritate caeli et amoenitate soli et ubertate frugum et magnitudine pastionum et commoditate fluminum et opportunitate marium et frequentia oppidorum et illustrium virorum copia erigit atque extollit. An flexanimae orationis exempla, in quibus potissimum eloquentia triumphat? At nihil admirabilius fingi eo tractu potest, quo Caesaris mortem acerbissime deflet, nihil magis tragicum, nihil ad excitandos affectus accommodatius. Occurrunt hic omnia unius hominis extincti desiderio ad luctum, ad moerorem, ad lacrymas conversa, atque ad summam quasi rerum desperationem excidiumque delata. Quid illa descriptio pestis, quae armenta conripuit atque extinxit? Potestne ab aliquo sive oratore, sive poeta tetrioribus exprimi coloribus, atque evidentius depingi? Horret animus, quum equi leguntur sub aegra morte discissos artus nudis dentibus dilaniare. Refugit mens, quum stygiis tenebris in lucem emissa Tysiphone non modo surgens sese irato capite effert, verum etiam pavorem et metum et morbos praesefert. Descriptionem autem illam frigidissimae regionis nivibus geluque obsitae, quem tandem oratoriae excellentiae gradum obtinere dicam? Cernis hic nives in septem ulnas adsurgentes, hic aera dissilientia, hic vestes rigentes, hic cauros spirantes frigora: cernis numquam paullo hilariorem solis faciem, sed pallorem, sed caliginem, sed umbras: cernis incolas defossis in specubus latitantes, agentes otia sub al-

ta terra, integras ulmos focis advolventes, et reliqua non minus horrida, quae si tu paullo attentius legas, tibi iisdem propemodum nivibus obsessus esse videare, ac prope non toto corpore inhorrescas et contremiscas. Quum vero se ad temperatum dicendi genus confert, nescio, an hoc ipso in genere admirabilior etiam, et se ipso major existat: ut, quum apum proprietates elegantissime ac venustissime exequitur, et perinde persequitur, ac si de bene morata ac recte constituta republica loqueretur. Nihil, inquit Parthenius, nihil profecto hoc libro elegantius, venustius nihil ac pictius fingi, aut excogitari potest. Nam rebus per se minimis dignitatem conferre, et cum dignitate leporem venustatemque afflare, dici non potest, quantam acerrimi ingenii vim requirit, et quam exquisitum non a poeta minus, quam ab oratore postulet artificium. Jam vero quum haec eloquentiae exempla, quae in Virgilio passim occurrunt, in aliis quoque poetis fere incidere intelligamus; quis non videt, illorum lectione mirum in modum ali augerique eloquentiam, ac prorsus ita, ut ad illam facilius et excellentius comparandam nullum majus habere subsidium, atque emolumentum possimus.

Desinant igitur nobilissimae artis hostes acerrimi eas indices stultitiae voces emittere, quibus illud conantur unum, ut Poesim illam, a qua summum et latinitati et eloquentiae emolumentum profectum esse a-

nimadvertimus, e scholis publicis ejiciendam putemus: Vos vero, Adolescentes optimi, nolite, quaeso, ineptis quorumdam hominum sermonibus praebere aures, qui vos a poetarum studiis, objecta latinitatis et eloquentiae specie, revocare contendunt. Plurima isti jactant, quae aut falsa omnino sunt, aut unum simulatae veritatis obtentum habent. Facile est inconsultis imponere adolescentibus, si praesertim ea proponantur, quae eo spectant, ut laborem, a quo maxime refugiunt, aut amoveant prorsus, aut certe non parum imminuant. Pergite igitur, ut instituistis, ad poetica studia diligenter incumbere, ut, quos latinitatis et eloquentiae fructus afferunt, aliquando percipi a vobis possint. Unum tantum oro obtestorque vos, Adolescentes. Prospicite vobis, consulite pudori vestro. Nolite omnes temere poetas legere: eligite probos, removete improbos, qui multa vobis lenocinia exhibent, quibus in fraudem inlicere vos conantur. Hac poeticorum scriptorum circumscriptione adhibita, nihil est, cur poeticae artis studia negligi a vobis debeant, a quibus summa illa, quae hactenus prosequuti sumus, progigni commoda consueverunt. Dixi.

DE GEOGRAPHIA

ORATIO XVIII.

Si quis forte vestrum, Auditores, miratur, quid sit, quod ex hoc ornatissimo ad dicendum loco, in quo fere de Eloquentiae ac Poeseos artibus, deque latinae addiscendae linguae non utilitate modo, sed etiam necessitate Oratores agere hodierna die consueverunt, ego praeter consuetudinem facultatem illam, quae in notis terrarum omnium regionibus describendis occupatur, quamque propterea Geographiam vocamus, suadendam adolescentibus, suisque exornandam laudibus praedicandamque suscipiam; is, si paullo attentius inspicere res omnes velit, una et mirari profecto desinet, et consilium meum non comprobandum modo, verum etiam collaudandum maxime existimabit. Si enim quicumque in liberalium artium studio ac disciplina versantur, ut scientiam aliquam sibi perfecte comparent, rerum omnium ac doctrinarum, quae cum ea quodam propemodum vinculo conjunguntur, cognitionem assequi debent; quid

adolescentibus qui vel ad perfecti Oratoris Poetaeque nomen, vel ad accurati Scriptoris laudem contendunt, proferri utilius suaderique possit? Tanta enim est hujusce studii cum iis, quae ad nostri instituti rationem pertinent, necessitudo, tanta non affinitas modo, sed cognatio quoque intercedit, ut prius ipsa splendescere nullo pacto possint, quam ab illo novo quodam lumine perfundantur. Quod si ad studiorum nostrorum minuendos labores molestiasque levandas aliquid tradi a praeceptoribus debet, quod honesta oblectatione adolescentum animos devincire queat; quodnam studiorum humaniorum genus excogitari fingique potest, quod cum eo, de quo verba facimus, aut amoenitate, aut dulcedine comparandum esse videatur? Habetis consilii mei, hujusque suadendi studii celebrandique causam ac rationem. Illud modo a vobis peto, quotquot huc tam frequentes tantaque alacritate convenistis, litteratissimi viri, ut me de praeclarissima hac facultate eo tempore dicentem, quo maxime ad communem vitae societatem necessaria videtur, humanitate, ac benevolentia vestra sustentetis.

Doctrinarum singularum atque artium cognitionem eo avidius esse hominibus expetendam, eoque majori industria comparandam, quo majorem in illis et fructum et voluptatem inesse intelligunt, ab omnibus arbitror judicari. Quo constituto, quis umquam tam rudis ignarusque rerum reperietur, qui multam dandam

esse operam Geographiae studiis negabit, quorum tanta est utilitas tantusque fructus, ut, nulla etiam dulcedine adjuncta, incredibili amore sui possint nostras mentes incendere; suavitas tanta ac voluptas, ut sine utilitate atque fructu allicere, allectosque debeat adolescentum animos detinere?

Et quoniam multos ultro labores molestiasque suscipitis, et constanter in legendis scriptoribus sustinetis, Adolescentes nobilissimi, vos enim, vos mea haec tota compellabit oratio, curam industriamque omnem enixe adhibere debetis, ut quae vobis ex Poetarum, Historicorum, Oratorumque libris a praeceptoribus vestris explanantur, probe perfecteque intelligatis. Itaque illa vobis sunt omni studio comparanda adjumenta, quae ad perfectam illorum cognitionem intelligentiamque conducunt. Atqui Geographiae studium illud nobis adjumentum suppeditat, sine quo nemo fere ex veteribus Scriptoribus intelligi perfecte potest. Etenim quot oppidorum, quot urbium, quot provinciarum, quot fluminum, quot insularum, quot aliorum hujusmodi nomina in quoque cujuscumque rei Scriptore legendo vobis occurrunt? Libet enim ad veterum Oratorum pernoscenda scripta animum cogitationemque convertere? Occurrent statim maritima ac terrestria itinera confecta, difficiles asperrimorum montium adscensus, impedientium fluminum oppositus: occurrent agrorum vastationes, direptiones oppidorum, munitissimarum ar-

cium eversiones: occurrent gentes immanitate barbarae, audacia furentes, viribus formidandae a praestantissimis cujuscumque aetatis Imperatoribus superatae. Libetne Poetarum carminibus aliquando animum demulcere? En tibi Ulyssis, Achillis, Aeneae itinera atque errores: en Caesaris, Augusti, Antonii, aliorumque in diversis terrarum partibus bella gesta, magnaque sive felicitate, sive turpitudine confecta: en innumerabilium regionum positus, ac varii diversique populorum mores ob oculos obversantur. Libetne, quae in Historicorum libris collecta sunt, summorum virorum facta recognoscere? Aderit Alexander ille, qui totum terrarum orbem complens nominis sui gloria nunc Darium in Granico fugat; nunc Ephesum, Miletum, Sardim, Halicarnassum ditioni suae potestatique adjungit; nunc Lydiam, Joniam, Pamphyliam, Cappadociam dicto audientem reddit; nunc Tyrum, Damascum, Gazam incredibili prope virtute expugnat, obviaque omnia contemnens ac vincens a Medis, ab Hircanis, a provinciis omnibus finitimis regiis honoribus decoratur. Aderit Hannibal ille hostis Romano nomini infensissimus, qui nunc ad Ticinum, nunc ad Trebiam, nunc ad Trasimenum, nunc ad Cannas legionum trucidatione, exercitus internecione, fortissimorum virorum caede luctuosissimam teterrimamque cladem attulisse Romanae reipublicae perhibetur. Aderit Pompejus ille Magnus, qui in Siculis oris multis undique cinctus periculis non belli ter-

rore, sed consilii celeritate Perpennam domuit, Carbonemque interfecit; qui Africae solum magnis oppressum hostium copiis in Domitium atque Hiarbam pugnans multorum militum sanguine cruentavit; qui Hispaniae aliasque orbis terrarum partes ita peragravit, ut eas victoriis potius atque triumphis, quam cursibus perlustrarit. Aderunt alii sive ex veteribus, sive ex recentioribus quamplurimi, qui nunc ad Istrum, ad Rhenum, ad Visurgim apud Germanos; nunc ad Rhodanum, ad Garumnam, ad Ligerim, ad Ararim, ad Sequanam apud Gallos; nunc ad Hebrum, ad Tagum, ad Duriam apud Hispanos, nunc ad Vistulam apud Polonos, nunc ad Volgam apud Moschos, nunc ad Padum ac Tiberim apud Italos pugnando vel praeclaram ex infensissimis hostibus victoriam retulerunt, vel misero fatalique casu abjecti turpissime ceciderunt. Quì igitur fieri poterit, Adolescentes optimi, ut ex illis quidpiam intelligendo pernoscamus, nisi terrarum orbem descriptum, nisi regionum ac civitatum, nisi fluminum atque insularum loca ac positus quasi oculis intueamur? Quare qui hujus facultatis studio non ducitur, carebit cognitione Oratorum, carebit Poetarum, carebit Historicorum, carebit multarum rerum scientia, quas homines litterarum studiosi tenere debent. Itaque si apud litteratos viros sermo de istiusmodi alicujus Scriptoris locis forte incidat, dum suam quisque sententiam profert, atque eruditionis gloriam aucupa-

tur, tu ne hiscere quidem audens tacendo cogeris de ignoratione tua confiteri. Quod si vobis turpe, Adolescentes optimi, si contumeliosum, si indignum videtur, ut ingenuis adolescentibus merito debet videri; statuite, quem vobis animum suscipiendum esse arbitremini.

Age nunc qui sine Geographiae studio ad perfectam Scriptorum veterum intelligentiam pervenire nequit; poteritne, eodem neglecto, ad rectum accuratumque scribendi modum devenire? Ecquod Scriptorum genus in medium potest afferri, quod hujus facultatis cognitione indigere minime videatur? An Oratores? At hi, monente Tullio, nec contra Imperatorem, nec pro Imperatore dicere sine regionum terrestrium ac maritimarum scientia possunt. An Poetae? At hi clarissimorum ducum facta ac victorias persequi atque exornare versibus non poterunt, nisi descriptum terrarum orbem cogitatione ac mente peragrarint. An Historici? At quì regnorum amplitudinem, quì urbium ornamenta, quì regionum ubertatem, pugnarumque opportunitatem proferre, explicare, sub oculos subjicere queant, nisi omnes terrarum partes prius animo perlustrarint? Nonne in errores plurimos prolabentes longe disjunctas regiones conjungent; ut Arrianus, qui veteres Germanos prope Jonium mare collocavit? Nonne nationem unam pro altera accipient; ut Sabellicus, qui Danos eosdem esse ac *Dacos* existimavit? Nonne

proxima ea loca, quae intervallo distant quammaximo, arbitrabuntur; ut Florus, qui Brutum et Cassium eamdem arenam, quae fatalis Pompejo fuerat, insedisse scribens, Aemathiam, veteris Macedoniae partem, Aemo, Thraciae monti celsissimo maximeque disjuncto, vicinam esse contendit? Quod si Polibius Alpes transcendit, maximamque Galliarum partem non sine magno vitae discrimine peragravit, ut Hannibalis in Italiam itinera ostendere ac percensere numerando posset; quid nos litterarum amatores facere oportet, ut, quae ad dicendum nobis proponuntur, accurate scribendo persequamur? Illamne facultatem, cujus ope totius orbis terrarum cognitionem percipimus, negligemus? non fovebimus? in tenebris latitare atque obsolescere patiemur?

Quid, quod in honesto virorum consessu saepe de clarissimis summorum Imperatorum victoriis, saepe de formidandis exercitibus fusis ac profligatis, saepe de urbibus, provinclis, regnisque captis, saepe de rebus; quae in quacumque terrarum parte fiunt, summa cum audientium utilitate atque oblectatione disseritur? Quae igitur omnium hujus universitatis partium, quae exterarum gentium morum, quae regum omnium virium atque opum cognitio requiritur, ut aliquid erudito homine dignum proferamus, quasique ante oculos praelia cladesque ponere, et loca ostendere possimus? Aut omnino hujusmodi conventus vitandi, in suisque aedi-

bus delitescendum, aut enixe curandum, ut omnes terrarum omnium positus labore aliquo et studio memoria ac scientia comprehendamus. Quanta enim omnes voluptate perfunduntur, si apte atque apposite hoc in genere loquamur; tanta etiam molestia afficiuntur, si sermo ab indocto homine omnisque eruditionis experti de hujusmodi rebus habeatur. Itaque videre est eos, qui numquam ad haec perutilia studia animum mentemque suam contulerunt, ubi sermones inciderint de praeliis commissis, de urbibus expugnatis, de regum exercitibus, de variis ac diversis exterorum populorum moribus ita ab omnibus contemni ac despici, ut nescias, majorene odio digni sint, quod sua sponte loquuntur, de quibus loqui nullo modo possunt; an misericordia, quod impudentiae suae quamplurimos testes colligere turpiter conentur.

Ac mihi quidem de tota hac re cogitanti summae vituperationis notam effugere minime posse videntur ii, qui earum rerum, quae ad Geographiam pertinent, sunt cognitione destituti. Quemadmodum enim illum omnes irridendum putarent, qui locupletem domum, atque omni signorum, pictarum tabularum, atque aliorum ornamentorum genere refertam incolens, eas sibi res nullo pacto visendas cognoscendasque arbitraretur, ac turpe omnino esset, si satis sibi esse ducens illa omnia uno aspectu contemplari, non singulas etiam sibi partes accurate considerandas

putaret; sic indecorum omnino est, hominem ubi sit, quamque orbis terrarum partem teneat, nescire; ubi majores sui, ubi praestantes viri, ubi bene de republica meriti cives vixerint; quas olim regiones Graeci, quas Romani victoriis illustrarint; res a praeclarissimis viris in omnibus, quae usquam sunt, terrarum partibus praeclare gestas legentem, loca, in quibus gestae sunt, non tenere; denique rerum hanc universitatem incolentem, tantam varietatem pulchritudinemque rerum, tantam magnitudinem tractusque maris atque terrarum, tam multas tamque varias regiones et loca ignorare. Quae quum ita sint, quamquam pro Geographiae cognitione trajiciendae essent Alpes, transmittenda maria, difficultates denique maximae superandae; tamen ferre omnia praestaret, quam tanto tum ornamento, tum etiam humaniorum litterarum praesidio carere.

Quid, si hoc studium ita esse dulce ac jucundum ostendero, ut nihil, pene dixerim, suavius, jucundius nihil queat in humanis rebus reperiri? Sane si eo quidque jucundius est, quo laboris molestiaeque minus exhibet, et si eo hominum animis gratius est discere, quo ea, quae discuntur, suapte vi ac natura jucundiora sunt; maximam ac pene incredibilem illius esse suavitatem confiteamur necesse erit, quum studiorum genus nullum sit, ex quo citius, haud magnis susceptis laboribus, et plura ac majori animi voluptate

addiscantur. Quum enim ad ejus comparationem nihil requiratur aliud, quam descriptarum regionum locorumque contuitus, et rerum cognitarum custos memoria; quae res usquam esse potest, quam adolescentes, si modo ad haec studia animum adjecerint, leviori molestia ac labore assequantur? Jam vero quis illarum rerum, quas ipsa continet, jucunditatem et cogitatione assequi et mente complecti et oratione queat exponere? Testes sunt innumerabiles omnium ordinum homines, qui tot difficillima ac periculosa itinera tantis sumptibus molestiisque suscipiunt, ut aliquam terrae partem, aut unam etiam urbem splendore, pulchritudine, ac tectorum templorumque magnificentia celebratam intueantur. Intelligunt illi, tantum sese percepturos oblectamentum, quum laboribus omnibus atque itineribus perfuncti aliqua in urbe pedem posuerint, quum nobilissimas vias, quum ditissimorum civium aedes magnificentissimas, quum ingentes templorum moles infinito opere constructas, quum signa, quum tabulas, caeteraque ornamenta exterorum oppidorum, quibus intuentium oculi maxime capiuntur, adspexerint, ut non viarum salebras asperrimas caecosque hiatus, non torrentium ac fluminum periculosos transitus, non imbres, non vim ventorum ac fluminum pertimescant. Quod si tanta voluptas est ac jucunditas, quam in una tantum urbe ac regione invisenda capimus, proh Deus immortalis! si omnes omnium terrarum urbes, omnes

provincias, regna, insulas, omnes exteras gentes ac nationes, denique maria omnia tum universa, tum in singulis oris omnes sinus atque portus intueri nobis liceret; quanam tandem animi nostri voluptate perfunderentur? Verum non est hominum vitae, non exigui hujus spatii, quod est nobis ad vivendum datum, tot loca adire, tantos cursus conficere, tot disjunctissimas terras posse tam brevi tempore peragrare. At vero, quod nobis natura denegat, praestat Geographia, ut, qui in ea curae aliquid operaeque consumpserint, omnes terrarum partes praesentes spectasse atque animadvertisse videantur. Neque solum omnia licet illis cognoscere, sed uno fere obtutu totum terrarum orbem oculis perlustrare suis partibus, regnis, provinciisque distinctum, omniumque admirabilium rerum varietatibus oblectari. Adsunt uno eodemque tempore Europae universae, in eamque sese injicientes animi ita late longeque peregrinantur, ut insulas Britannicas, ut Hispaniam, ut Galliam, ut Germaniam, ut Italiam, ut Hungariam, ut Poloniam, ut Lithuaniam, ut Russiae Moschoviaeque partem, ut Svecorum Danorumque regna pernoscant. Adsunt Asiae regionibus, quidque in iis Turcae, quid Persae, quid Arabes, quid Indi, quid Sinae, quid Japones, quid Tartari, Moschique teneant, intuentur. Adsunt Africae oris, quidque in iis iterum Turcae, quid Nigritae, quid Cafres, quid Aethiopes, quid Arabes, Maurique habeant, aspiciunt.

Adsunt Americae partibus, quidque in iis Hispani, quid Lusitani, quid Galli, quid Batavi, quid Angli, Barbarique colant, dispicientes cognoscunt. Quod si Archimedes ille Syracusanus in jucundae rei contemplatione defixus tanta detinebatur voluptate, ut in patriae ruina non armorum tumultum, non cadentium tectorum fragorem, non morientium gemitus, non ipsius urbis casum sentiret; qua suavitate afficientur ii, qui res omnes jucundas, quae ubique sunt, tam brevi tempore quieto tranquilloque animo percurrunt? Atque ut hoc facilius intelligatis, ponite vobis ante oculos quempiam hujusce, de quo verba facimus, studii amatorem, descriptum terrarum orbem, pulchritudinemque earum rerum, quae in ipso continentur, mira quadam animi sui dulcedine contemplantem. Quae ac quanta nobilium rerum copia se illi ubique offert ad ejus mentem delectatione incredibili perfundendam! quae amoenitas locorum! quae urbium magnificentia! quae celebritas oppidorum! quae forma regionum! quae et quanta maris Adriatici, Aethiopici, Atlantici, Africi, aliorumque pulchritudo! quae multitudo et varietas insularum! quae amoenitates orarum et littorum! Videt Volgam, Danubium, Boristhenem, Rhenum in Europa: videt Obim, Euphraten, Tigrin, Indum, Gangem in Asia: videt Nilum et Nigrum in Africa: videt fluvios, ut vocant, Amazonum, Argenti, Sanctique Laurentii in America. Hinc Alpes in Europa, illinc Apennini:

hinc Taurus in Asia, illinc Caucasus atque Imavus: hinc Atlas in Africa, illinc Lunae montes Lybique: hinc Andi, illinc Apalathi in America montes occurrunt: quibus ille omnibus rebus sic fruitur, ut istam suam occupationem reliquis aliis voluptatibus merito anteponat.

Fateor, non parem eamdemque esse delectationem et eorum, qui iter aliquod voluptatis causa suscipiunt atque alias terras invisunt, et eorum, qui in propriis aedibus, descriptis omnibus regionibus perlustrandis, terras omnes atque urbes animo et cogitatione percurrunt. Verum incredibile prope dictu est, quam multa iter habentibus eam, quam capiunt, voluptatem imminuant; quam multa Geographiae cognitioni deditis suorum studiorum augeant oblectamentum. Illi assiduis ac difficillimis itineribus, defatigato corpore atque confecto, molestissima valetudinis cura sollicitantur ac vehementer anguntur: hi vacui curis atque laboribus summa tranquillitate in patriae solo, et quiete suavissima perfruuntur. Illi sub dio inter lubricos Apenninorum atque Alpium aliorumque montium ascensus atque descensus, inter maxima caeli terraeque incommoda reliquasque itinerum difficultates peregrinantur: hi tectis urbium parietibusque defensi non caeli intemperiem atque inclementiam, non saevissimas anni maximeque infestas tempestates pertimescunt. Illi occultas latronum insidias, inexplebiles praedonum rapacitates, vitae pe-

ricula terra marique perhorrescunt: hi nec furem, nec praedonem timent, nec ullis naufragiis, nec aliis casibus sunt obnoxii. Illi denique quamquam novarum pulcherrimarumque rerum aspectu mentem recreent ac reficiant suam; tamen non sunt tam ferreo agrestique animo, ut absentia amantissimorum suorum charissimorumque non moveantur; neque eorum mentem non domum saepe revocat aut relicta uxor, aut dulcissimi, quos a natura acceperunt, liberi, aut fratres, aut amicitiae, aut consuetudines, aut vicinitates: hi in eo solo, quo nascentes sunt primum excepti, commorantes suorum aspectu colloquiisque fruuntur, neque magna, quam in patria incolenda capiunt, laetitiae voluptate privantur.

Quod si quis minorem rerum cognitionem hos putat habere, quam illos, vehementer errat; propterea quod, quae illi iter habendo, hi legendo quaerendoque pernoscunt; quippe qui et urbium antiquitatem et conditorem et nobilitatem intelligunt; qui et populi frequentiam et opum magnitudinem et hominum divitias et cultum et studia et voluntates norunt; qui non victus, non aedium, non habitus vestitusque rationem; qui non res belli domique vel praeclare, vel turpiter gestas; qui non caeli temperationem, non foecunditatem terrarum, non aliarum commoditatum quamplurium copiam; qui denique non gentis uniuscujusque leges, non instituta, non disciplinas, non a-

micos, non hostes ignorant. Quare videte, num eorum voluptas, qui se Geographiae studiis tota mente atque animo applicarunt, cum illorum oblectatione, qui diversa terrarum loca peragrando intuentur, possit conferri.

Quamobrem quum et Geographiae utilitas tanta sit, ut illius ope perfectius Scriptores veteres intelligamus, ut ad rectam accuratamque scribendi rationem deveniamus, ut de jucundis admodum utilibusque rebus loqui in honestissimorum virorum consessu possimus; et tantam in ea esse voluptatem confiteamur, quantam, qui se itineribus committunt, non modo non sentiunt, sed ne sperando quidem umquam, aut optando cogitant; quid est, Adolescentes optimi, cur non omnes industriae nervos contendatis, ut ad earum rerum, quae in ipsa continentur, comparationem aliquando perveniatis? Si id tantum ageretur, ut facultatem ejusmodi propter ipsius incredibilem praestantiam ac jucunditatem coleretis; tamen quis non hanc exercitationem humanissimam putaret? At quum non de eximio ornamento honestaque oblectatione solum, sed etiam de studiis humanitatis et eloquentiae agatur, quid expectatis? quid cunctamini? praesertim quum sine hujus facultatis adeptione humaniorum litterarum gloriam, quam Majores vestri olim vobis reliquerunt, tueri et conservare minime possitis. Quì enim Oratoriae, quì Poeticae artis laudem ac dignitatem, quì perfectam

Historiae cognitionem, quibus in rebus excellentes viros haec liberalissimis studiis affluens civitas tulit, apud vos vigere posse censetis, nisi ea, quae hactenus exornavi, studia omni animi contentione excolatis? Agite igitur, Adolescentes: mentem animumque vestrum ad ista conferte, ut eamdem semitam, qua florentissimi hujus Lycei patres ac duces praeiverunt, insistatis, gloriamque ab illis partam non conservetis modo, verum etiam in dies pro viribus amplificetis. Dixi.

INDEX

ERRATA			SIC CORRIGITO
Pag. 127.	lin. 27.	ager	agere
184.	14.	latinae	latine
203.	12.	auctoritati	auctoritatis
218.	5.	vidatur	videatur
302.	21.	Casae	et Casae